114.

Programm

Univ.-Bibl. Giessen

Jahresbericht

über das

Großherzogliche Gymnasium

zu Eisenach,

womit

zu den am 18., 19., 20. und 23. März Statt findenden

Schulfeierlichkeiten

einladet

der Direktor des Gymnasiums

Dr. Karl Hermann Funkhänel.

Voran gehen:

Augusti Witzschelii, Phil. Doctoris, Gymnas. Praecept. Ordinarii,

Vindiciae Euripideae.

Eisenach, 1839.

Stadt- u. Univ.-Bibl.
Frankfurt/Main

Gotha, gedruckt mit Engelhard-Reyherschen Schriften.

Universitäts-Bibliothek GIESSEN

Permagni saepenumero momenti esse ad poetarum tragicorum interpretationem, ut, quo tempore singulae fabulae conditae et in scenam productae sint, probabiliter definitum habeamus, id quum ex permultis eorum locis egregie cognoscatur, tum novo aliquo documento hac scribendi opportunitate oblata illustrare conabimur, ducto illo ex Euripide, quem imprimis tragoedias ad sui temporis conditionem accommodasse scimus. Cui quidem studio ille adeo indulsit, ut non solum plurima non nisi spectatorum gratia dixisse, verum etiam consulto interdum de scenae regulis remisisse artemque tragicam arte populari commutasse videatur. Nec sane hoc valde mirabitur, qui ad eius rei causam non minus quam ad ipsum cultorem animum adverterit. Rem paucissimis complectar. Quum enim ab eis poetis, quibus benignius quam Euripidi Melpomene arriserat, pleraque argumenta iam tractata essent, ille autem eadem retractaturus aliquid novi et quo de palma decertare posset excogitare deberet, factum est, ut, quum in fabulis ipsis fere nihil aut pauca tantum mutare liceret, in expositione et exornatione commendationem quaereret et nova arte vincere studeret. Quid igitur mirum, si homines Euripidei ea praecipue sentiunt, dicunt aguntque, quae spectatoribus quam maxime placitura viderentur? Et quid mirum, si poeta, quem omnino homines non quales esse deberent, sed quales vere essent finxisse constat, interdum etiam aliquid de suo adiecit produxitque personas modo subtilius et liberius philosophantes, modo rhetorum ac sophistarum more disputantes, modo pravos sui saeculi mores ac studia notantes? Non enim ea erat Euripidis Musa, quae adsurgere posset ad Aeschyli sublimitatem aut Sophoclis spirare amabilem dulcedinem; arte igitur et lenociniis compensare debebat virtutes sibi negatas. Quod quomodo ei successerit, non est huius loci uberius exponere; hoc tamen exinde apparet, accuratam temporis, quo singulae fabulae actae sint, notitiam, certe probabilem definitionem quemadmodum ad interpretationem ita ad artem criticam, cum illa arctissime coniunctam, perquam necessariam esse. Quare in eruendis interpolationibus magnopere cavendum, ne eiusmodi locos, qui cum fabulae argumento minus bene cohaerere et personarum naturae ac moribus repugnare videntur, spurios censeamus et ab aliena manu adglutinatos. Permulta enim, quae in argumenti expositione poeta admisit, mirabilia sane primo adspectu et dubitationibus obnoxia, ex temporum ratione et recte expediri possunt et bene intelligi. Verum ad id non ubique attendisse videtur I. A. Hartungus, vir ingenii doctrinaeque laude florentissimus, qui de Euripidis fabularum interpolatione nuper copiosius exposuit duabus disputationibus, praemissis eius editioni Iphigeniae Aulidensis, quarum prior ad omnes Euripidis fabulas pertinet, altera ad unam Iphigeniam Aulidensem. Illud vero ne obiter tantum ac temere a me dictum videatur, promam eius rei illustre documentum ex Helena, quo quum ille p. 11. de interpolatione cogitavit locum ex nescio qua Menandri fabula in Helenam translatum suspicatus, apertissime falsus est. Ibi nuntius, priusquam de scena abit, haec de divinatione dicit vss. 744. sqq.:

ἔσται τάδ', ὦναξ· ἀλλά τοι τὰ μάντεων
ἐξεῖδον ὡς φαῦλ' ἐστὶ καὶ ψευδῶν πλέα.
οὐδ' ἦν ἄρ' ὑγιὲς οὐδὲν ἐμπύρου φλογὸς
οὔτε πτερωτῶν φθέγματ'· εὖηθες δέ τοι
τὸ καὶ δοκεῖν ὄρνιθας ὠφελεῖν βροτούς.
Κάλχας γὰρ οὐκ εἶπ' οὐδ' ἐσήμηνε στρατῷ,
νεφέλης ὕπερ θνήσκοντας εἰσορῶν φίλους,
οὐδ' Ἕλενος, ἀλλὰ πόλις ἀνηρπάσθη μάτην.
εἴποις ἄν, οὕνεχ' ὁ θεὸς οὐκ ἠβούλετο.
τί δῆτα μαντευόμεθα; τοῖς θεοῖσι χρὴ
θύοντας αἰτεῖν ἀγαθά, μαντείας δ' ἐᾶν·
βίου γὰρ ἄλλως δέλεαρ εὑρέθη τόδε,
κοὐδεὶς ἐπλούτησ' ἐμπύροισιν, ἀργὸς ὤν.
γνώμη δ' ἀρίστη μάντις ἥ τ' εὐβουλία.

Quibus chorus ita adstipulatur:

ἐς ταὐτὸ κἀμοὶ δόξα μάντεων πέρι
χωρεῖ γέροντι· τοὺς θεοὺς ἔχων τις ἂν
φίλους ἀρίστην μαντικὴν ἔχοι δόμοις.

Totum adscripsi locum, quo primum luculentius appareat Hartungo eum non recte visum esse repugnare verbis, quae in Electra v. 400. Orestes dicit

Λοξίου γὰρ ἔμπεδοι
χρησμοί, βροτῶν δὲ μαντικὴν χαίρειν ἐῶ.

in utroque enim non Apollinis sed vatum divinationes notantur. Iam vero Hartungus de Helenae loco: „Et inepte haec disputantur, inquit, a famulis adstantibus tacentibusque dominis et absurde inseruntur ei fabulae, in qua tantae sanctitatis vates Theonoe celebratur, nec tulisset theatrum Atheniensium tragoediam tam fastidiose de divinatione disserentem." Verum quidem est, ea non satis apte a nuntio, homine generis humilioris, in medium proferri; at hoc ipsum plane Euripideum est, ut nemo in scena taceat, sed quilibet etiamsi homo vilissimus verba faciat cumque caeteris colloquatur. Vid. Aristoph. Ran. v. 948. sqq., ubi Euripides tragicam suam artem contra Aeschylum ita iactat:

ΕΥΡ. ἔπειτ' ἀπὸ τῶν πρώτων ἐπῶν οὐδὲν παρῆκ' ἂν ἀργόν,
ἀλλ' ἔλεγεν ἡ γυνή τέ μοι χὠ δοῦλος οὐδὲν ἧττον,
χὠ δεσπότης χἠ παρθένος χἡ γραῦς ἄν.
ΑΙΣ. εἶτα δῆτα
οὐκ ἀποθανεῖν σε ταῦτ' ἐχρῆν τολμῶντα;
ΕΥΡ. μὰ τὸν Ἀπόλλω·
δημοκρατικὸν γὰρ αὖτ' ἔδρων.

Alterum argumentum, illam de divinatione disputationem inepte inseri ei fabulae, in qua tantae sanctitatis vates Theonoe celebretur, speciosius quam verius allatum. Nam ego quidem in tota fabula nihil inveni, quo Euripidi ut Theonoam vatem celebraret consilium fuisse intelligas, cui nuntii chorique verba contraria fuissent. Sed quod deinde vir doctissimus theatrum Atheniensium non laturum fuisse opinatur tragoediam tam fastidiose de divinatione disserentem, id longe secus est. Acta est Helena Ol. XCI, 4. archonte Cleocrito, id quod verissime demonstravit Hermannus in praef. p. VII. sq. Eo autem anno commissa est memorabilis illa pugna navalis, qua Athenienses totam classem contra Syracusanos perdiderunt. Cuius cladis nuntio Athenas perlato cives summa ira et indignatione in omnes eos exarserunt, qui expeditionis auctores extiterant. Hoc narrat

Thucydides lib. VIII, 1. his verbis: *Ἐς δὲ τὰς Ἀθήνας ἐπειδὴ ἠγγέλθη, ἐπὶ πολὺ μὲν ἠπίστουν καὶ τοῖς πάνυ τῶν στρατιωτῶν ἐξ αὐτοῦ τοῦ ἔργου διαπεφευγόσι καὶ σαφῶς ἀγγέλλουσι, μὴ οὕτω γε ἄγαν πασσυδὶ διεφθάρθαι· ἐπειδὴ δὲ ἔγνωσαν, χαλεποὶ μὲν ἦσαν τοῖς ξυμπροθυμηθεῖσι τῶν ῥητόρων τὸν ἔκπλουν ὥσπερ οὐκ αὐτοὶ ψηφισάμενοι, ὠργίζοντο δὲ καὶ τοῖς χρησμολόγοις τε καὶ μάντεσι καὶ ὁπόσοι τι τότε αὐτοὺς θειάσαντες ἐπήλπισαν ὡς λήψονται Σικελίαν.* Plurimi autem illo tempore vates et fatidici, oraculorum institores et quaestuosissimi piarum fraudum caupones Athenis commorabantur, quorum artes quantum apud popellum superstitiosum valuerint, nemini ignotum est, et quum vel ex eo, quod civitatis principes haud raro illis uti solebant, ut populum quo vellent flectere possent, tum maxime ex Thucydidis narratione intelligitur, ubi isti nebulones Athenienses *θειάσαντες ἐπήλπισαν ὡς λήψονται Σικελίαν.* Cfr. etiam Plutarch. Nic. 13. Non igitur dubitandum, quin illa vatum reprehensio genuina sit et ab ipso poeta eo consilio Helenae inserta, ut spectatoribus populari studio gratificaretur et sibi laudem, fabulae victoriam pararet. Ultima autem verba, quae Hartungus disputationi adiecit, aut prorsus non intelligo, aut, si intelligo, eis, quae antecedentibus probare vult, aperte contradicunt. Sunt enim haec: Quare non dubito, quin illa huc sint ex Menandri aliqua comoedia translata, quem sic de divinatione sensisse haec illius verba testantur:

ὁ πλεῖστον νοῦν ἔχων
μάντις τ' ἄριστός ἐστι σύμβουλός θ' ἅμα.

Celebratissima autem fuit Helena fabula, ut non sit mirandum, quod ad eam Menander respexerit. At vero si Menander in aliqua comoedia Euripidis Helenam respexit, debebat certe in ea invenire ad quod posset respicere; unde potius Helenae locum genuinum esse concludas, Menandri autem versus illinc expressos.

Non iniucundum foret neque inutile, totam illam disputationem, qua Hartungus Euripidis interpolationes indagare et in lucem protrahere conatus est, percensere et accuratius exempla considerare, quibus aliquam *νοθείας* suspicionem subesse voluit. Verumtamen hoc facere et longius est, quam ut huius scriptiunculae angustiis coarctari queat, et prohibitum ea disputandi ratione, qua viro doctissimo uti placuit. Etenim omnis eius disputatio hoc fundamento nititur, ut Euripidem poetam longe meliorem, quam qui interpretibus visus sit, fuisse contendat. Quod quemadmodum per se verum esse potest, ita perspicua explicatione ac demonstratione vel maxime indiget. Nam cum Euripidis interpolationum indagatio neque a libris manu scriptis neque a scholiastis, qui hodie extant, quidquam auxilii sperare queat, sed sola posita sit in explicando scriptoris ingenio, in cognoscenda fabularum natura atque consilio, in consideranda sententiarum verborumque vi atque nexu, in exquirendo denique quid personis ac rebus probe conveniat: sponte intelligitur, hoc ante omnia certissime constare debere, qualis poeta Euripides fuisse existimandus et quale consilium in singulis fabulis secutus sit, unde quid ab ipso poeta, quid ab aliena manu profectum sit, probabiliter coniici ac diiudicari possit. Id vero vir doctissimus praetermisit, ablegans lectores ad eum librum, quo se de illis rebus copiosius expositurum profitetur. At inde duplex incommodum exoritur. Primum enim quum disputatio fundamento destituta sit, nos quo sit vertendum prorsus ignoramus, dubii utrum Hartungi opinionem, quae quibus nitatur argumentis nondum cognovimus, bona fide veram sumamus, an eorum amplius iudicia probemus, quos ille inique de nostro poeta iudicasse arbitratus gravissime reprehendit. Alterum autem incommodum hoc est, ut qui diligentius in rem inquirere velit, haud raro non inveniat, unde proficisci debeat et ubi certo pede insistere possit: disputatio enim ita comparata est, ut Hartungo, ubi se peti animadvertit, facillime ex adversarii manibus elabi liceat suumque protendere futurum librum. Quare et ego illa additamenta, quorum comprobatio ex poetae ingenio et natura dependet, satius duxi intacta relinquere, etsi me de longe plurimis non sine idonea causa dubitare fateor. Videamus hic de eiusmodi aliquot locis, qui sintne genuini an suppositi, ex ipsorum sententia atque nexu probabiliter demonstrari potest.

In Troadibus Andromachae orationi, quae vss. 630. sqq. legitur, decem versus inserti sunt, quorum singulas sententias Seidler. Euripide haud indignas iudicavit, veritus tamen, ne ille locus non ab Euripide profectus, certe huic nexui primitus non destinatus fuerit. Seidlerum secutus est Hartungus, cui p. 26. versus „angustae quaedam et minutae sapientiae praecepta continere videntur, ignobilium mulierc ularum vitae apta." At locum aliunde illatum vix persuadeas, nisi cur et qua ratione illatus sit, probabilem rationem reddideris, id quod non solum de hoc sed de permultis aliis, qui Hartungo expellendi videntur, locis dictum volo. Et ubi probabilem loci auctorem circumspicimus, vix quemquam, opinor, inveniemus, cui ille melius quam ipsi nostro poetae conveniat, qui nullam profecto Atheniensium mulieres aperte vituperandi aut tectius notandi occasionem facile dimittere solet, ut haud sciam an mirum videri debeat, si Andromacha ea, quae ita de se gloriata est:

ἃ γὰρ γυναιξὶ σώφρον' ἔσθ' εὑρημένα,
ταῦτ' ἐξεμόχθουν Ἕκτορος κατὰ στέγας.

non accuratius exponeret et sua ipsius laude alias aliter sentientes mulieres oblique taxaret. Mihi quidem hoc plane Euripideum videtur. Nam quomodo poeta in suae aetatis mulieres animatus fuerit, haud obscure indicavit sub Hippolyti persona vss. 664. sqq. ed. Dind. ita cum nutrice stomachantis:

μισῶν δ' οὔποτ' ἐμπλησθήσομαι
γυναῖκας, οὐδ' εἴ φησί τις μ' ἀεὶ λέγειν·
ἀεὶ γὰρ οὖν πώς εἰσι κἀκεῖναι κακαί.
ἢ νῦν τις αὐτὰς σωφρονεῖν διδαξάτω,
ἢ κἄμ' ἐάτω ταῖσδ' ἐπεμβαίνειν ἀεί.

Hoc satis dictum videtur de Hartungi sententia. Revertor nunc ad Seidlerum, qui quod verbum φρεῖν cum compositis suis, utpote quod vulgari sermoni proprium sit, a tragicis poetis abiudicavit, errorem commisit, quem postea ipse confessus est ad Electr. v. 1028. Deinde, inquit, quod illi πρῶτον μὲν in sequentibus respondeat, frustra quaeras, nec ipsa illa locutio ἔνθα κἂν προσῇ κἂν μὴ προσῇ ψόγος γυναιξὶν, offensione caret. Quod ad sententiam illi πρῶτον μὲν respondeat, minime deest: respondent enim εἴσω τε etc., quae quoniam non particulis ἔπειτα δὲ antecedentibus adnexa sunt, neminem morabitur, qui eiusmodi negligentiam vel potius liberiorem dicendi rationem et permultis aliis exemplis defendi posse et hic longiore protasi satis excusari meminerit, ita ut poeta coeptae constructionis quasi oblitus sententiam aliter quam inchoaverit ad finem perduxisse putandus sit. Eam vero difficultatem, quam sane in locutione ab Seidlero notata deprehendimus, statim remotam videbis, si verba ita distinxeris:

πρῶτον μὲν ἔνθα, κἂν προσῇ κἂν μὴ προσῇ
ψόγος γυναιξὶν, αὐτὸ τοῦτ' ἐφέλκεται
κακῶς ἀκούειν, ἥτις οὐκ ἔνδον μένει,
τούτου παρεῖσα πόθον ἔμιμνον ἐν δόμοις κτλ.

P. 28. adsentitur Hartungus viro cuidam docto, qui in Class. diar. 3. p. 617. Orestis versum 257. deleri et post v. 270. collocari voluit; ipse tamen locum nondum perpurgatum ratus etiam sequentem versum, qui vulgo Electrae est, Orestis orationi continuandum totumque locum ita scribendum censuit:

δὸς τόξα μοι κερουλκὰ, δῶρα Λοξίου,
οἷς εἶπ' Ἀπόλλων μ' ἐξαμύνασθαι θεὰς,
εἴ μ' ἐκφοβοῖεν μανιάσιν λυσσήμασιν.
αὗται γὰρ, αὗται πλησίον θρώσκουσί μου.

βεβλήσεταί τις θεῶν βροτησίᾳ χερί,
εἰ μὴ 'ξαμείψει χωρὶς ὀμμάτων ἐμῶν.
οὐκ εἰσακούετ'; οὐχ ὁρᾶθ' κτλ.

Verum hanc transpositionem minime probare possum. Stichomythiae enim leges, quibus illum versum repugnare putant, propterea non violantur, quod, quum novi quid intervenit aut animi motus augetur, responsionis aequalitas saepius in diverbiis interrumpitur; vid. Soph. Oed. Reg. 334. sqq. Quocirca hic neutiquam offendere debet, quod Orestes insaniae impetu correptus se intra legitimos colloquii terminos non tenet, sed vehementissime commotus binis tertium versum addit. Deinde vero si eum ordinem, quem sibi Hartungus Euripidi recte restituisse videtur, accuratius consideramus, vix quemquam esse arbitror, qui versum

αὗται γὰρ, αὗται πλησίον θρώσκουσί μου

non vehementer languere sentiat. Contineret enim causam, cur arcum et sagittas sibi dari velit Orestes; qua quidem causa quum omnino non indigeamus, postquam Furias matricidae instare bis iam audivimus, tum maxime Oresti furibundo et insanienti eiusmodi ἀκρίβεια inepta videtur. Ne tamen hoc nimis premere videar, convertam me ad versus sequentes, qui et in sententia habent quod displiceat, et cum antecedentibus male cohaerent. Nam si versum, quem libri Electrae adscribunt, poeta non Electrae, sed Orestis esse voluisset, eum non tam nude antecedentibus addidisset, sed certe particulam δὲ inseruisset. Nec sane in iis placere potest tertia verbi persona βεβλήσεται et ἐξαμείψει, quippe quae sententiam vel per se satis languidam multo languidiorem efficiat, praesertim quum in sequentibus, uti aptum erat et res postulabat, Furiae ipsae graviter compellantur. Quid multa? Abiiciamus istam transpositionem prorsus inutilem et restituamus Electrae versum, quem omnes libri et scripti et editi ei tribuunt. Nam quod Hartungus Electram multo ante animum despondisse et obvoluto capite lacrimis se dedisse opinatur, id tum demum, si illum versum Orestis neque Electrae esse constaret, recte contenderes. Per se certe non necessarium est, et vereor etiam, ne sit non valde probabile. Etenim Orestis verba

δὸς τόξα μοι κερουλκὰ, δῶρα Λοξίου κτλ.

haud dubie sorori dicta sunt, quae nescio an Orestem non satis apte dicentem poeta fecisset, si illam capite velato lacrimas effundere voluisset. Sed sumamus hoc fieri, id certe neminem non offendere potest, quod Electra, quae fratris dilectissimi curam in se receperit, ita lacrimis dedita videtur et illius adeo oblita, ut ei arcum et sagittas dari iubenti ne verbum quidem respondeat, quo insaniam mitigare et ad sanam mentem revocare studeat. Tantum enim abest, ut, quod Hartungus opinatur, aut ratiocinando cum insano contendere velit, aut Furias, quas Orestes sibi conspicere videtur, pro veris habeat, ut ea quaestione id faciat, quod sibi et rebus aptissimum erat. Cunctatur enim arcum porrigere, quod tamen ne facere videatur fratremque magis exacerbet, quaestionem proponit, qua et ipsa aliquam cunctandi causam habeat et fratris animum ad aliam rem convertat. Ad illud vero argumentum, versum primitus neque Electrae tributum fuisse neque cum interrogatione pronuntiatum, quum apud Plutarch. Sympos. IX. Tom. II, p. 737. A. Anaxarchus deridens Alexandrum eo usus sit, satius duco nihil respondere.

Electrae orationem, quam paulo infra habemus vss. 307. sqq., ita ab Euripide finitam arbitratur:

καὶ μὴ τὸ ταρβοῦν κἀκφοβοῦν σ' ἐκ δεμνίων
ἄγαν ἀποδέχου, μένε δ' ἐπὶ στρωτοῦ λέχους·
κἂν μὴ νοσῇς γὰρ, ἀλλὰ δοξάζοις νοσεῖν.
[κάματος βροτοῖσιν ἀπορία τε γίγνεται.]

Ultimum enim versum, qui generalem sententiam importune additam cumque iis, quae praecedunt, parum consentientem contineat, deleri et in penultimo δοξάζοις scribi iubet pro vulgari scriptura δοξάζῃς. Verum ut ego dissentiam me hoc potissimum movet, quod Euripides longiores sermones

communi aliqua sententia finire tam impense amavit, ut eiusmodi sententiae haud sciam an omissae magis offendere debeant, quam additae. Quam quidem consuetudinem hic eo minus neglectam crediderim, quod Electra iam de scena abit et post chori carmen nova persona, Menelaus, adest. Accedit, quod, modo locus recte scribatur, omnia bene procedunt, ut versum, qui unde huc venerit vix perspicias, minime exturbari opus sit. Brunck. ex Par. A., optimo sane codice, edidit *νοσῇ — δοξάζῃ* idque recepit Bothius. Hanc scripturam, quam etiam Callistratum agnovisse scholia docent, fortasse quispiam ita defendat, ut ex plurali *βροτοῖσι* subiectum ad *νοσῇ — δοξάζῃ* subaudiendum dicat. Sed quamvis ex praecedente numero plurali subiectum supplere Graecis haud inusitatum est (vid. Herm. ad Iph. Taur. 1143.), exempla tamen, quae contrariam rationem recte tueantur, adhuc desidero; et mihi quidem aliud esse videtur, si praecedit numerus pluralis, aliud, si sequitur. Callistrati autem scriptura vereor ne nihil sit nisi ipsius emendatio, requirentis sententiam communem, quam quidem tertia verbi persona reponere conatus sit. Sed eandem nanciscimur probantes id, quod plurimi codd. et editiones post Canterum suppeditant: *νοσῇς — δοξάζῃς*, ita ut Electra ab Orestis allocutione ad sententiam generalem transire existimanda sit, quemadmodum etiam scholiastae locum interpretati sunt. In Ald. Brub. Hervag. 1. 2. Mosq. A. D. Aug. d. Flor. 17. Havn. scriptum habemus: *νοσῇς — δοξάζεις*, quod fortasse ita defendendum videatur, ut indicativus ab *εἰ*, quocum *ἐὰν* compositum est, pendeat, de qua dicendi ratione vid. Hermann. ad Iph. Aul. 1179. Sed equidem in utroque membro hic praetulerim coniunctivum, qui et simplicior est et librorum auctoritate stabilitur.

In Helena Theonoa orationem, qua se Menelai adventum cognitum habere significat, hoc modo finit vss. 887. sqq.

τέλος δ' ἐφ' ἡμῖν, εἴθ', ἃ βούλεται Κύπρις,
λέξασ' ἀδελφῷ σ' ἐνθάδ' ὄντα διολέσω,
εἴτ' αὖ μεθ' Ἥρας στᾶσα σὸν σώσω βίον,
κρύψασ' ὁμαίμον', ὅς με προστάσσει τάδε
εἰπεῖν, ὅταν γῆν τήνδε νοστήσας τύχῃς.
τίς εἶσ' ἀδελφῷ τόνδε σημανῶν ἐμῷ
παρόνθ', ὅπως ἂν τοὐμὸν ἀσφαλῶς ἔχῃ;

Duo ultimos versus Hartungus p. 42. removeri vult. Ridiculum est, inquit, quod Theonoe, cum initio nihil aliud, quam ut ipsa salva tutaque sit, prospexerit, postmodum se pietatem, rebus ceteris posthabitis omnibus, unice colere et respicere tam magnifice gloriatur. Delendi igitur sunt versus intempestive additi. Non recte ita statuit vir doctissimus. In illis enim, quae utrumque versum praecedunt, vates ambigua ac dubia est, nuntietne fratri Menelaum adesse, an reticeat, nondum quidquam aperte elocuta, quo se Theoclymeno morigerari velle profiteatur, id quod duobus facit versibus extremis, iubens aliquam famularum ad regem nuntiatum ire. Nulla tamen abit, quoniam Helenam enixe ne se perdat Theonoe orantem conspiciunt. Deletis igitur illis versibus non poteris non maximopere mirari, cur tandem Helena tam anxie vati, ut sibi atque Menelao parcat nec utrumque perdere velit, precibus instet, cum illa se perdituram esse nondum significaverit. Accedit, quod ex ultimis Theonoae verbis, quibus se non prorsus alienam ab Helenae ac Menelai salute ostendit, Helenam, ut in eo persistat, potius adhortaturam, quam, ne interitum parare velit, dehortaturam exspectamus.

Attamen ne nostra disputatio liberius circumvagetur et modo huc modo illuc deferatur, eligemus aliquot Medeae Hippolytique locos, ad unum omnes ex eo genere, quod, quoniam singuli loci ex ipsorum natura, sententia atque nexu ab interpolatione vindicari posse videntur, hic paulo diligentius considerare constituimus.

In Medea nutrici Iasonem malum ac perfidum in amicos existere dicenti respondet paedagogus vss. 85. sqq.

τίς δ' οὐχὶ θνητῶν; ἄρτι γιγνώσκεις τόδε,
ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ,
οἱ μὲν δικαίως, οἱ δὲ καὶ κέρδους χάριν,
εἰ τούσδε γ' εὐνῆς οὕνεκ' οὐ στέργει πατήρ;

Horum duo ultimos, ut iam antiquis interpretibus suspectos, Hartungus p. 46. delendos iudicat. Quinam sint illi antiqui interpretes, fateor me nondum perspexisse, nisi Hartungus eum in animo habet, a quo Matthiae in MS. S. hoc adnotatum esse refert: „Interpres hos versus non agnoscit." At quid de illo codice deque adnotatiunculis margini adscriptis existimandum sit, idem Matthiae satis demonstravit in Indice codd. p. X. Facessat ergo hinc antiquus iste interpres, cui ne minima quidem auctoritas. Si autem versus per se spectamus, posterior nequaquam habet, quo offendere possit, imo ne verba

ἄρτι γιγνώσκεις τόδε,
ὡς πᾶς τις αὑτὸν τοῦ πέλας μᾶλλον φιλεῖ,

obiter tantum ac sine causa dicta videantur, pene necessarius videtur. Non eadem dixerim de altero, qui et propter sententiam valde languidam maleque cum caeteris cohaerentem et propter particulam καὶ dubitationem movere possit. Quid enim ea hic sibi vult et quid significat? Etiam? Adeo? Quasi hoc esset novum vel inusitatum, ut homines lucri causa se ipsos magis quam caeteros ament atque respiciant. Cod. Havn. καὶ, quod quin sit ineptum ac valde langueat vix quisquam dubitabit, bene omittit, unde illa verba primitus sententiam continuisse margini adscriptam, ab imperitiore deinde librario ope importunae particulae in numeros redactam et adeo in verborum ordinem receptam haud improbabile videtur. Ac versum spurium esse iam pridem coniecit Brunckius, alii alia excogitarunt. Eo autem expulso et diverbii aequalitas bene restituitur et omnia plana sunt et egregie inter se cohaerent. Caeterum delendum in extremo versu signum interrogationis non recte a plerisque editoribus servatum.

In transcursu liceat mihi paucis attingere locum vexatissimum, quem paulo infra habemus vss. 105. sqq., ubi nutrix coram Medeae liberis haec de matre dicit:

ἴτε νῦν, χωρεῖθ' ὡς τάχος εἴσω.
δῆλον δ' ἀρχῆς ἐξαιρόμενον
νέφος οἰμωγῆς ὡς τάχ' ἀνάψει
μείζονι θυμῷ·

Quorum constructionem Elmsleius fortasse huiusmodi esse dicit: δῆλον δ' ὡς τάχ' ἀνάψει μείζονι θυμῷ (ἡ Μήδεια) νέφος οἰμωγῆς ἀρχῆς ἐξαιρόμενον, et sequi videtur Porsonum, qui „est figura, inquit, quam rhetores vocant ἀναστροφήν." Sed verissime monuit Hermannus hanc esse constructionis explicationem, nullam vero sententiae explanationem, quae quidem qualis sit ex neutra ratione cognoscatur. Idem Hermannus hic neque anastrophae locum esse ostendit neque posse singula verba proprio significatu accipi, quo efficeretur sententia plane absurda; ipse locum sic distinguendum putavit: δῆλον δ' ἀρχῆς, ἐξαιρόμενον νέφος οἰμωγῆς ὡς τάχ' ἀνάψει μείζονι θυμῷ. Sententia bona est, sed nescio an Pflugkius recte senserit veritus, ne illud δῆλον ἀρχῆς omissa, quam vulgaris usus requirit, praepositione sine exemplorum auctoritate probari nequeat. Quod tamen ipse excogitavit, ἀρχῆς ἐξαιρόμενον esse idem quod ἀρχόμενον, id multo minus admitti potest. Quare mihi locum aliquid vitii traxisse admodum credibile videtur; lenissima certe mutatione et constructionem verborum et sententiam bene expedire possumus scribentes

δῆλον δ' ὀργῆς ἐξαιρόμενον
νέφος οἰμωγῆς ὡς τάχ' ἀνάξει
μείζονι θυμῷ.

Apertum vero, inquit, doloris nubem, ex ira et indignatione natam, mox ma-

iori impetu excitatum iri. Praetuli cum Hermanno ἀνάξει, quod ipsum praebet Par. E. et agnoscunt scholiasta, Lasc. in marg. et Musgravii codd. fere omnes.

Orationi, qua Medea semet ipsa ad audacissima quaeque suscipienda ac perpetranda adhortatur, hanc adiecit perorationem vss. 403. sqq.

ὁρᾷς ἃ πάσχεις; οὐ γέλωτα δεῖ σ' ὀφλεῖν
τοῖς Σισυφείοις τοῖς τ' Ἰάσονος γάμοις,
γεγῶσαν ἐσθλοῦ πατρὸς Ἡλίου τ' ἄπο.
ἐπίστασαι δέ· πρὸς δὲ καὶ πεφύκαμεν
γυναῖκες, ἐς μὲν ἔσθλ' ἀμηχανώταται,
κακῶν δὲ πάντων τέκτονες σοφώταται.

Tres extremos versus Hartungus p. 33. fin. ab hominibus umbraticis excusos arbitratur. Non cadunt, ait, in ingenium Medeae haec verba et, si caderent, certe non essent a Medea ipsa dicenda. Laudandus est vir doctissimus, quod quid sit non apte factum bene vidit, reprehendendus vero, quod ideo versus Euripide, insatiabili pene mulierum osore, dignissimos spurios esse suspicatur. Nam quod cod. Havn. versibus duobus ultimis chori nomen praefixum habet, id nihil nisi oculorum errorem esse ab librario commissum quivis facile intelliget. Ad sententiam autem poeta mea defensione neutiquam indiget; ipse enim hic sui vindex. Vide enim eiusdem Medeae superiorem orationem, cuius hunc finem esse videmus vss. 263. sqq.

γυνὴ γὰρ τἄλλα μὲν φόβου πλέα,
κακὴ δ' ἐς ἀλκὴν καὶ σίδηρον εἰσορᾶν·
ὅταν δ' ἐς εὐνὴν ἠδικημένη κυρῇ,
οὐκ ἔστιν ἄλλη φρὴν μιαιφονωτέρα.

Quae profecto non minus importune ab ipsa Medea dicuntur. His adde vss. 384. sq. Atque haec satis tueri videntur et Medeae locum et quem Hartungus ibid. ex Hippolyto (vss. 480. sq.), fabula omnium μισογυνείας plenissima, removeri vult.

Nec sane melius iudicavit de Medeae vss. 542. sqq., quorum interpolationem p. 32. ita demonstrare conatus est: Iaso quum inter beneficia, quibus per se affecta sit Medea, hoc refert, quod illa in Graeciam perducta gloria rerum gestarum fruatur, non esse hoc dicturus arbitrandus est, nisi Medeam ipsam, quanti esset laude celebrari, intelligere arbitraretur. Quare neque docenda erat illa neque admonenda neque etiam suae virtutes Iasoni canendae his verbis:

εἴη δ' ἔμοιγε μήτε χρυσὸς ἐν δόμοις
μήτ' Ὀρφέως κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος,
εἰ μὴ 'πίσημος ἡ τύχη γένοιτό μοι.

Mira profecto argumentatio. Quae hos versus proxime praecedunt, non nisi id, quod Iaso vss. 534. sq. ita dixerat

μείζω γε μέντοι τῆς ἐμῆς σωτηρίας
εἴληφας ἢ δέδωκας, ὡς ἐγὼ φράσω,

uberius demonstrant et comprobant. „Primum enim," inquit Iaso, „te ex barbara terra in Graeciam deduxi, ubi et legibus et iustitia uti didicisti; deinde vero inter Graecos aliquam sapientiae famam atque existimationem nacta es, quod secus evenisset, si in extremis terrae finibus adhuc lateres." Et quoniam Iaso, ut Medeae criminationes aliquo saltem modo refutaret, sua ipsius beneficia non potuit non magnopere premere atque efferre, adiecit tres illos versus, quibus gloriam sibi rerum pretiosissimam et caeteris omnibus longe anteferendam maximeque optabilem videri simulat. Eiusmodi vero sententiam et aptissime dictam esse et cum caeteris optime cohaerere nemo non videt. Verum enim vero ipsa locutio ostendit versus esse Euripideos. Scite observavit Elmsleius,

poetam hic ex sua potius quam ex Iasonis persona loqui: optare enim *Ὀρφέως κάλλιον ὑμνῆσαι μέλος* votum poetae proprium esse neque cadere in Iasonis ingenium. Unde locum vix a quoquam alio quam a nostro poeta profectum esse posse iure concludas, quem si interpolator supposuisset, haud dubie longe aliud quid dixisset, quam quod uni Euripidi convenire ac tribuendum videtur. Vid. Suppl. vss. 180. sqq., ubi Adrastus similiter ex poetae mente loquitur, etsi hunc locum praevideo nullam vim habiturum apud Hartungum, qui Supplices pariter atque Heraclidas totas spurias et Euripidi errore tributas esse sibi persuasum professus sit.

Post Medeae colloquium cum Aegeo illa secum deliberat, quo modo Iasonem excipere vel potius decipere velit, et inter alia haec quoque dicit vss. 756. sqq.

μολόντι δ' αὐτῷ μαλθακοὺς λέξω λόγους,
ὡς καὶ δοκεῖ μοι ταῦτα καὶ καλῶς ἔχειν
γάμους τυράννων οὓς προδοὺς ἡμᾶς ἔχει,
καὶ ξύμφορ' εἶναι καὶ καλῶς ἐγνωσμένα.

De versu penultimo Matthiae in adnotat. ita disserit: „Versum deleri iusserunt Reiskius in Misc. Lips. nov. V, p. 719. et Valcken. ad Phoen. 1286., quorum rationes satis leves esse ostendit Elmsleius. Gravius est, quod ille versus cum totius orationis contextu non satis cohaerere videtur, nisi subiici eum dicas ad explicandum praecedens *ταῦτα*, ut saepe *τοῦτο* ponitur, ad sequens nomen masculini vel feminini generis referendum. Sed hoc ipsum, quod explicatio subiicitur, ubi non opus erat, interpolatorem prodere videtur. Itaque equidem versum hinc eiiciendum censeo." Atque hanc rationem probare videtur Hartungus, qui p. 46. idem statuit. Versum abesse posse non nego, sed debere minime concedo, quum omnem difficultatem, ob quam editores de interpolatione cogitarunt, alia explicatione penitus removeri videam. Recepta enim scriptura *ἔχειν*, in omnibus edd. vett. reperta, hanc nanciscimur verborum sententiam: dicam mihi haec placere et bene se habere nuptias regias, quas proditor celebraturus est. Continet quidem ille versus accuratiorem quandam pronominis *ταῦτα* explicationem, sed talem, qualem vix dicas interpolationis suspicionem movere posse.

De Medeae v. 1029., quem Hartungus p. 27. ex Troadibus translatum putat, deque aliis eiusdem generis versibus dixi in disputatione de versibus in Euripidis Medea male repetitis, inserta Actis Soc. Gr. Vol. II, p. 141. sqq. Duo alios huius fabulae locos, viro doctissimo suspectos, consulto praetermitto, leviores illos nec sane dignos, de quibus hic disputetur. Hoc tamen recte ab eo animadversum puto, quod infra carminis chorici versus 1105. sqq., ad sententiam certe non necessarios, eiiciendos dicit. Iis enim remotis carmen in antistrophicam rationem, cuius in eo sunt apertissima vestigia, bene redire videmus. Attamen hac occasione oblata non possum quin pauca moneam de eiusdem carminis versibus

ἀλλὰ γὰρ ἔστιν
μοῦσα καὶ ἡμῖν, ἣ προσομιλεῖ
σοφίας ἕνεκεν· — πάσαισι μὲν οὔ·
παῦρον τόδε δὴ γένος ἐν πολλαῖς
εὕροις ἂν ἴσως· —
κοὐκ ἀπόμουσον τὸ γυναικῶν.

Cod. Par. A. B. D. Rom. A. B. Flor. 10. Havn. Lasc. habent *παῦρον δὲ δὴ γ.* Ald. rell. *παῦρον δὴ γ.* Utrumque contra metrum. Verba *παῦρον τόδε δὴ γένος* continent Musgravii coniecturam, receptam a Brunckio sequentibusque editoribus praeter Porsonum atque Elmsleium, quorum ille *παῦρον γὰρ δὴ γένος* coniecit, probatum ab Hermanno, hic aliam emendationem proposuit iusto audaciorem, quam percensere hic omitto. Etsi vero Musgravii Porsonique coniecturae bonae sunt ac faciles, nescio tamen an facilius nec minus bene verba ita corrigi queant:

παῦρον δ' ἤδη γένος ἐν πολλαῖς
εὕροις ἂν ἴσως. —

Transeo nunc ad Hippolytum. Ibi post Veneris prologum Hippolytus cum famulis ac venationis comitibus in scenam prodit celebraturus Dianam, venationis deam ac praesidem, carmine chorico. Id quoniam brevius est, totum hic ex Monkii editione describamus.

ΙΠΠΟΛΥΤΟΣ.

ἕπεσθ' ἀείδοντες, ἕπεσθε,
τὰν Διὸς οὐρανίαν
"Αρτεμιν, "Αρτεμιν, ᾇ μελόμεσθα.

ΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣ.

πότνια, πότνια, σεμνοτάτα,
Ζανὸς γένεθλον,
χαῖρε, χαῖρέ μοι, ὦ κόρα
Λατοῦς καὶ Διὸς "Αρτεμι,
καλλίστα πολὺ παρθένων,
ἃ μέγαν κατ' οὐρανὸν
ναίεις εὐπατέρει' ἀν' αὐλὰν
Ζανὸς πολύχρυσον οἶκον.
[χαῖρέ μοι, ὦ καλλίστα,
καλλίστα τῶν κατ' "Ολυμπον
παρθένων "Αρτεμι.]

Versus uncis inclusos primum Hermannus in Observatt. critt. in Aeschylum et Euripidem Cap. XII, p. 166. spurios censebat, quem secuti sunt Matthiae atque Hartungus p. 37., qui nescio qua de causa etiam illa Λατοῦς "Αρτεμι καὶ Διός supposita habet. Hermannus autem ita: „Ultima uti numeris haud sane sunt elegantissimis, ita deteriora etiam sunt, quod ad rem ipsam attinet. Nam cur haec, obsecro, iterantur? cur iisdem plane verbis? cur omisso ornatu, qui in superioribus erat? Si ornatiora superioribus et splendidiora essent, vis aliqua repetitioni et virtus accederet. Nunc tantum abest, ut ea, quae iam dicta sunt, augeantur hac repetitione, ut potius vis infringatur et motus omnis languescat. Complectar brevi: tam manifesta in his sunt interpretamenti indicia, ut mirer, quid sit, quod tam languidum additamentum non pridem eiectum fuerit." Hanc opinionem fateor mihi haud probabilem videri, quod quae Hermannus illis verbis explicata putat, tam plana sunt tamque facilia, ut eiusmodi interpretatione, quam rectius eorundem verborum repetitionem dixeris, minime indigeant. Quare rationem circumspiciendam putavi, qua illam clausulam ita explicarem ac defenderem, ut, cur ea ita neque aliter a poeta dicta essent, probe intelligeretur. Atque eam scholiastae suppeditare videntur. Haec enim ad Hippolyti orationem adnotarunt: τοῦτο ἔνιοι τὸν Ἱππόλυτον φασὶν ᾄδειν· ἄμεινον δὲ τοὺς ἑπομένους τῷ Ἱππολύτῳ ἀπὸ τῶν κυνηγεσίων ταῦτα λέγειν. ἕτεροι δέ εἰσι τοῦ χοροῦ, καθάπερ ἐν τῇ Ἀλεξανδρείᾳ ποιμένες. Ἄλλως. Ὁ Ἱππόλυτος ὑμνεῖν παρακελεύεται, ἢ ἀλλήλους προτρέπονται οἱ ἀπὸ τοῦ χοροῦ, ἤγουν οἱ συνεπόμενοι τῷ Ἱππολύτῳ κυνηγέται. Inde chori personarum divisionem ac descriptionem iam antiquitus dubiam et incertam fuisse discimus, aliis libris carminis initium ministris, aliis Hippolyto adsignantibus. Atque eam dubitationem augent MS. E. et lib. P., qui cum vett. edd. finem Hippolyto tribuunt, cuius nomen Par. A. B. D. omittunt, quare Valcken. Brunck. Monk. vss. 69. sqq. famulis continuant. Matthiae et Dindorf. revocarunt vulgarem scripturam; rectene an secus, nunc quaerere omitto. Hoc unum premere liceat, quod quidam libri scripti et omnes edd. vett. carminis finem ab iis, quae proxime praecedunt, segregant aliique personae adscribunt. Iam vero considerantes famulorum carmen non possumus non mirari, quod quae totius carminis praecipua sunt deaeque laudes continent, non ab Hippolyto, cui Diana omnium maxime curae cordique fuit, sed ab eius sociis ac famulis canuntur. Id mihi quidem non satis apte institutum videtur. Quid multa? Apparet vulgarem personarum distributionem vel per se dubitationibus obnoxiam esse, ut

non temere agere videamur aliam commendantes rationem eamque talem, qua omnia optime expeditum nec quidquam difficultatis relictum iri speramus. Carminis et personarum rationem hanc fuisse coniicio:

ΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣ.
ἕπεσθ' ἀείδοντες, ἕπεσθε,
τὰν Διὸς οὐρανίαν
60 Ἄρτεμιν, ᾇ μελόμεσθα.
ΙΠΠΟΛΥΤΟΣ.
πότνια, πότνια, σεμνοτάτα,
Ζανὸς γένεθλον,
χαῖρε, χαῖρέ μοι, ὦ κόρα
Λατοῦς καὶ Διὸς Ἄρτεμι,
65 καλλίστα πολὺ παρθένων,
αἳ μέγαν κατ' οὐρανὸν
ναίουσ' εὐπατέρειαν αὐλὰν
Ζανὸς πολύχρυσον οἶκον.
ΘΕΡΑΠΟΝΤΕΣ.
χαῖρέ μοι, ὦ καλλίστα,
70 καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον
παρθένων Ἄρτεμι.

Scholiastis obsecutus carminis initium Hippolyti ministris adscripsi, se invicem ad canendum adhortantibus. Quod ut faciamus, haec quoque suadere videntur, quae prologi fine vss. 51 sqq. Venus ita dicit:

ἀλλ' εἰσορῶ γὰρ τόνδε παῖδα Θησέως
στείχοντα, θήρας μόχθον ἐκλελοιπότα,
Ἱππόλυτον, ἕξω τῶνδε βήσομαι τόπων.
πολὺς δ' ἅμ' αὐτῷ προσπόλων ὀπισθόπους
κῶμος λέλακεν, Ἄρτεμιν τιμῶν θεὰν
ὕμνοισιν.

unde illam catervam cum cantu in scenam prodiisse haud inepte coniicias. Deinde Hippolytus, cui id unice conveniebat, carmen in Dianae honorem canit eamque laudibus celebrat, cui in fine tota caterva accinit et suo quisque nomine deam laudat atque salutat. Quod quoniam pene eorundem verborum iteratione factum est, id nemo valde mirabitur, quippe eiusmodi epiphonematis proprium et usitatum. Pauca addam de scriptura ac metris. Vs. 60. Ald. rell. nomen Ἄρτεμιν bis exhibent, semel tantum Lasc. Par. A. ap. Valcken. Flor. tres, Havn. Alterum cum Hermanno delevi. Vs. 66. scripsi ex Hermanni emendatione αἳ — ναίουσ', quam etiam vs. 70 sq. bene confirmat, retinui tamen οὐρανόν, quod Hermann. l. l. p. 167. in Ὄλυμπον mutari voluit; sed vid. eundem in Elem. doct. metr. p. 568. Vs. 70. ita metiendum censeo – ⏑ – | ⏑ ⏑ – –, de qua mensura vid. Hermann. Elem. p. 563, 41. Extremum versum, qui sane debilis est et elumbis, in meliores numeros redigere licet verbis transpositis Ἄρτεμι παρθένων.

Haec de illo carmine. Subiiciam his aliquot observationes de uno alterove Hippolyti loco, qui ab editoribus nondum recte emendati videntur. Attamen ne huius scriptiunculae fines nimis egrediar, maxima iam utar brevitate meamque sententiam quam potero paucissimis verbis exponam. Ac primo quidem accedam ad locum perquam difficilem, qui legitur vss. 113 sqq. Eum, iam olim in Observatt. critt. in Eurip. Hippolytum p. 3. a me tentatum, lenius nunc ita scribendum existimo:

ἡμεῖς δὲ, τοὺς νέους γὰρ οὐ μιμητέον,
φρονοῦντες οὐ τῶς, ὡς πρέπει δούλοις λέγειν,
προσευξόμεσθα τοῖσι σοῖς ἀγάλμασιν,
δέσποινα Κύπρι.

Nos vero, inquit, nam iuniores non decet imitari, aliter sentientes, quam nobis servis dicere convenit, colimus tuum numen. Servorum enim erat *μὴ λέγειν ἃ τις φρονεῖ*, id quod dicit Iocasta in Phoen. v. 392. Id enim mihi persuasum fateor, librorum scripturam aliquo modo corruptam esse; neminem certe adhuc audivi, qui interpretando omnem difficultatem ac dubitationem penitus sustulerit. Nam quae Matthiae in adnot. ad hunc locum explicandum protulit, satis mihi videor refutasse; ea autem, quibus nuperrime F. Vaterus ad Rhesum p. 260. not. vulgarem lectionem defensum ivit, ita sunt comparata, ut vix cuiquam probaverit. Ac de iis hic ne verbum quidem.

Vss. 223 sq. nutrix ad Phaedram

τί ποτ', ὦ τέκνον, τάδε κηραίνεις;
τί κυνηγεσίων καὶ σοὶ μελέτης;

Ita versus codd. et edd. vett. exhibent praeter Par. A., qui *μελέτη* praebet, idem Havn., qui tamen *καὶ σοὶ* omittit. Ego olim *μελέτη* rectissime a Porsono aliisque editoribus repositum ratus *καὶ* ita defendere studebam, ut referendum esset ad *τί* et eodem modo intelligendum, quo saepissime particula post *τί* infertur, de quo usu vid. Porson. ad Phoen. v. 1373. Vereor tamen, ne in hoc orationis tenore quivis illam voculam cum *σοὶ* quam cum antecedentibus coniungere malit, quod ut ita faciamus, versus caesura suadet ac postulat. Adde etiam, quod plurimorum librorum scripturam *μελέτης* ex altera *μελέτη* corruptam esse vix credibile est, rectius hanc ex illa ortam dixeris. Quare facillima mutatione versum ita scribendum puto:

τί κυνηγεσίων δεῖ σοι μελέτης; —

Quae in eo colloquio, quo nutrix dominam, ne mortem sibi consciscere velit, dehortari simulque mali causam percontari studet, vss. 327 sqq. inter utramque disputantur, ea ita emendaverim:

ΦΑΙΔ. κάκ', ὦ τάλαινα, σοὶ τάδ', εἰ πεύσει, κακά.
ΤΡΟΦ. μεῖζον γὰρ ἢ σοῦ μὴ τυχεῖν τί μοι κακόν;
ΦΑΙΔ. ἀλλ' εἰ τὸ μέντοι πρᾶγμ' ἐμοὶ τιμὴν φέρει;
ΤΡΟΦ. κἄπειτα κρύπτεις χρήσθ' ἱκνουμένης ἐμοῦ;

Vss. 330. vulgo sine interrogatione legitur, et pro *ἀλλ' εἰ* libri habent *ὀλεῖ*, quod ineptum est. Quae editores ad locum sive emendandum sive explicandum attulerunt, neutiquam satis faciunt. —

Vss. 1440 sq. Hippolytus Dianae decedenti vale dicens

χαίρουσα καὶ σὺ στεῖχε, παρθέν' ὀλβία·
μακρὰν δὲ λείποις ῥᾳδίως ὁμιλίαν.

Haec vel in sententia habent, quo offendamur. Recepto enim *λείποις*, quod habent Par. E. Havn. et post Canterum editores fere omnes, Hippolytus optaret, ut illa diuturnam consuetudinem, quam adhuc secum habuerit, facili animo solvere velit ac dimittere, quo Hippolytus Dianam quodammodo consolaturus videretur, quod facere deam potius deceret, quam hominem mortalem. Sin vero probamus *λείπεις* repertum in tribus Florr. Lasc. Ald. Brub. Herv. 1. 2., sententia evadit plane absurda. Videretur enim Hippolytus deae exprobrare, quod aequo animo nunc discessura sit. In cod. Flor. A. extat lectio sane memorabilis *λείπαις δακρῦ*, quae nescio an verae scripturae vestigia contineat. Certe ea premere licebit et coniicere Euripidem scripsisse:

χαίρουσα καὶ σὺ στεῖχε, παρθέν' ὀλβία·
μακρὰν δὲ λείπεις δακρύων ὁμιλίαν.

ita ut Hippolytus his ea respiciat, quae supra vss. 1423 sqq. Diana promiserat dicens:

σοὶ δ', ὦ ταλαίπωρ', ἀντὶ τῶνδε τῶν κακῶν
τιμὰς μεγίστας ἐν πόλει Τροιζηνίᾳ
δώσω· κόραι γὰρ ἄζυγες γάμων πάρος
κόμας κεροῦνταί σοι, δι' αἰῶνος μακροῦ
πένθη μέγιστα δακρύων καρπουμένῳ.

Nachrichten

über das

Großherzogliche Gymnasium zu Eisenach

vom Anfange des Jahres 1838 bis Ostern 1839.

Seit dem Anfange des Jahres 1838 sind 3 ordentliche Lehrer an dem Gymnasium angestellt worden. Zuerst wurde als Direktor durch Höchstes Dekret vom 10. Oktober 1837 der Unterzeichnete berufen:

Dr. Karl Hermann Funkhänel,

geboren am 5. August 1808 zu Johanngeorgenstadt im sächs. Erzgebirge, Schüler des Lyceums zu Schneeberg von Michaelis 1822 bis Ostern 1826, dann auf der Universität zu Leipzig gebildet. Kurz vor Ostern 1827 wurde ich in das Königl. philologische Seminarium, im Februar 1828 in die griechische Gesellschaft aufgenommen, wurde bald darauf Amanuensis des Herrn Komthur und Professor Dr. Hermann und im Febr. 1830 Doctor philos. und Magister lib. art. Am 12. März 1832 kam ich als Adjunkt an die Nikolaischule zu Leipzig, erhielt im December desselben Jahres einen Ruf als Prorektor an die Fürstl. Landesschule zu Gera und in Folge dessen die fünfte ordentliche Lehrerstelle an der Nikolaischule. Am 18. März 1835 wurde ich dritter Lehrer dieser Anstalt und verwaltete dieses Amt, bis Se. Königl. Hoheit der Großherzog von S. W. u. E. gnädigst geruhte, mein jetziges Amt mir zu übertragen, in welches ich am 8. Januar 1838 eingeführt worden bin. — Schriften: Quaestiones Demosthenicae 1831. — Demosthenis orat. in Androtionem edita a. 1832. — Dem. oratt. Olynth. Ediderunt K. H. Frotscher, K. H. Funkhaenel. 1834. — Acta societatis graecae. Edid. A. Westermannus, K. H. Funkhaenel, Vol. I. fasc. I. 1836, fasc. II. 1837, Vol. II. fasc. I. 1838. — Kleinere selbständige Aufsätze: Symbolae criticae, in der Allgem. Schulzeitung 1832. Nr. 99.; Ueber die Formel: οὐδὲ πολλοῦ δεῖ, in Jahn's und Seebode's Archiv f. Philol. u. Pädag. 1833. I, 3. S. 357 ff.; Ueber die Ableitung der lat. Formel nescio, haud scio, an aus der Griech. Sprache, in der Darmst. Zeitschrift für die Alterthumsw. 1834, Nr. 133; Einige Bemerkungen über Sokrates und seine Feinde; Ueber Platon's Euthydemus p. 304, D, ebend. 1835, Nr. 101—103; Ueber die Redner als geschichtliche Quelle, ebend. 1836, Nr. 130; Isokrates und Demosthenes, ebend. 1837. Nr. 59; De Demosthene Platonis discipulo, in den Actis soc. gr. Vol. I. fasc. II. p. 287 sqq.

gestorben am 18. August 1874

Ferner traten mit dem Anfange des neuen Lehrkursus zu Ostern 1838 als ordentliche Lehrer in das Kollegium ein:

als Ordinarius der Quarta, Dr. August Witzschel,

geb. zu Oschatz den 22. Decbr. 1813, zuerst auf der Königl. Landesschule zu Grimma, später auf der Thomasschule zu Leipzig auf die Universität vorbereitet, die er zu Ostern 1833 bezog, um Philologie zu studiren. Hier war er drei Jahre lang Mitglied der griech. Gesellschaft und des Königl. philol. Seminariums; auch wurde er in die archäologische Gesellschaft aufgenommen, die früher Prof. Weiske leitete, nach dessen Tode aber Prof. Becker übernommen hat. Im J. 1837 wurde er zum Doctor philos. promovirt und durch H. Oberkons.-Rescript vom 30. März 1838 zu seinem jetzigen Amte bestimmt. Geschrieben hat er: Observationes criticae in Euripidis Hippolytum, Lips. 1837. De versibus in Euripidis Medea male repetitis, in den Act. soc. gr. Vol. II. fasc. I. p. 143—160. Quaestiones Euripideae, in der Darmst. Zeitschr. für die Alterthumsw. 1838, N. 78. 79.

Endlich als Ordinarius der Quinta

Dr. Gustav Schwanitz,

geb. zu Eisenach am 17. Novbr. 1809, auf dem hiesigen Gymnasium und auf der Universität zu Jena, wohin er 1828 abging, gebildet. Er widmete sich den theologischen und philologischen Studien und wurde im Herbste 1831, nachdem er eine lat. Abhandlung über die Bilder in der Religion geschrieben hatte, Doktor der Philosophie. Ostern 1832 als philologischer Lehrer an die Fellenbergischen Erziehungsanstalten zu Hofwyl berufen, blieb er dort 4 Jahre thätig, und wurde dann als Kollaborator und in der angegebenen Zeit als Ordinarius der Quinta am hiesigen Gymnasium angestellt.

Somit wurde das Kollegium der ordentlichen Lehrer vervollständigt, und ist nun folgendes:

Dr. K. H. Funkhänel, Direktor und Ordinarius der Prima,
Professor Ludwig Christian August Briegleb, Ordin. der Secunda,
— Wilhelm Weißenborn, Ordin. der Tertia,
— Dr. Wilhelm Rein, Kollaborator,
— Emil Mahr, Lehrer der Mathematik und Physik,
Dr. Aug. Witzschel, Ordin. der Quarta,
- Gust. Schwanitz, Ordin. der Quinta.

Außerdem war der Religionsunterricht am Gymnasium für die Höchste Behörde ein Gegenstand gnädigster Berücksichtigung. Es erschien am zweckmäßigsten, einem Geistlichen der Stadt diesen anzuvertrauen und so wurde Herr Trautvetter, damals Archidiakonat-Substitutus, als Lehrer der Religion in Secunda, Tertia und Quarta zu Ostern des vorigen Jahres angestellt. Allein dieß war von kurzer Dauer; die Menge seiner Amtsgeschäfte nöthigte ihn, als er zu einer höhern geistlichen Würde erwählt wurde, seine Thätigkeit am Gymnasium aufzugeben. So trat mit dem 7. Januar 1839 unterdeß interimistisch durch den Direktor, am 16. Februar aber, nachdem die Höchste Bestätigung erfolgt war, durch den Ephor. gymn., Sr. Magnificenz Herrn General-Superint. Dr. Nebe eingeführt, Herr Archidiakonat-Substitut Kohl ein als Religionslehrer der drei untern Klassen. In dieser Wiederbesetzung der erledigten Stelle glaubt das Gymnasium eine sichere Bürgschaft dafür zu haben, daß alle Störungen einer segensreichen Thätigkeit, welche einem der Herrn Stadtgeistlichen übergeben ist, nun beseitigt sein werden, so daß weder die Zeit des Unterrichtes, noch der Lehrer einer Abänderung oder baldigem Wechsel ausgesetzt sind. — Endlich begann zu Michaelis der Gesangunterricht durch Herrn Musikdirektor Kühmstedt in der Weise, daß diejenigen Schüler, welche schon auf anderem Wege sich einige Fertigkeit verschafft hatten, wegen der in dem Wintersemester zu erwartenden Schulfeierlichkeiten wöchentlich in 2 Stunden, die andern vor der Hand in einer geübt wurden. Mit dem Beginne des neuen Lehrkursus wird jede Abtheilung wöchentlich 2 Stunden erhalten.

Aus der Zahl der Lehrer schied mit dem Schlusse des Jahres Herr Grisel, welcher mit unverkennbarem Eifer die französische Sprache in Prima und Secunda gelehrt hatte. Die Professoren Weißenborn und Dr. Rein traten sogleich in seine Stelle und erklärten sich bereit, bis auf Weiteres den französischen Unterricht zu übernehmen.

Mit größtem Danke anzuerkennen ist die durch H. Rescript vom 7. Juli 1838 den Professoren Briegleb und Weißenborn gewährte fire Entschädigung für das von ihren Klassen früher erhobene Schulgeld. Auch der Lehrer der Mathematik Mahr hat eine Auszeichnung erhalten, indem ihm durch Höchste Gnade das Prädikat eines Professors und für die seit Ostern vermehrte Zahl seiner wöchentlichen Lektionen eine Remuneration von 50 Thalern zu Theil geworden ist.

Lib. XLIV, 38, 8. Nihilne interest, utrum militem, quem neque viae labor hodie, neque operis fatigaverit, requietum, integrum in tentorio suo arma capere iubeas? — an longo itinere fatigatum, et onere fessum, madentem sudore, ardentibus siti faucibus, ore atque oculis repletis pulvere, torrentem meridiano sole, hosti obiicias recenti, quieto? etc. In his verbis, quae, quemadmodum a Grynaeo sunt edita, descripsimus, quaedam ad loquendi consuetudinem non accomodata esse facile apparet. Itaque laudandi sunt recentiores editores, quod Perizonio obsecuti torrente scripserunt, ubi ante torrentem erat, et de Fr. Gronovii coniectura pro quieto, cui vocabulo Livius aliam vim subiectam esse voluit (cf. 2, 64; 3, 22.) reposuerunt requieto, cuius prima syllaba propter antecedentis vocis similitudinem facile a librario praetermitti potuit. Sed cur Kreyssigius, etsi in cod. Vindob. onere fessum scriptum est, tamen opere fessum in Livii orationem receperit iustam causam exputare non possum. Sicut enim priore loco, ubi Aemilius suo consilio factum esse gloriatur, ut milites castris pridie munitis nullo labore fatigati illo die in aciem ducerentur, recte operis laborem milites fatigasse negat; ita altero loco, quo eorum sententiam perstringit, quibus ex via in proelium duci exercitum placuerat, opere fessos alienum esse videtur et ab oratoris consilio abhorrens. Et hos quidem contra morem Romanum neque opere perfecto, neque castris munitis, neque alia ulla re provisa hosti exercitum obiiciendum statuisse, et hoc potissimum notandum et reprehendendum putavisse consulem ipse cap. seq.: an nihil nostri habentes praeter nudum solum in quo pugnaremus? etc., qui locus recte est a Kreyssigio explicatus (cf. Vann. crit. p. 64.), ita declaravit, ut nemo de eius sententia posset dubitare. Iam quae haec est disputandi ratio, ut quod alterum noluisse atque adeo improbasse dicis, id ac si voluisset in eo reprehendas? Neque solum iustus orationis cursus recepta illa coniectura perturbatur, sed etiam ipsa sententia pervertitur. Toto enim loco de incommodis itineris agitur, et viae longitudine commemorata cetera quae proficiscentibus molestiam creare solent recensentur, sudor, pulvis, alia, unum illud, quod de opere interponitur, non ad viam pertinet, sed ad castrorum munitionem, id vero, quod in agmine militibus molestissimum est, eiicitur. Apte autem onere fessos milites dici eos, qui sarcinarum onere gestato defatigati sunt, etsi ex ipsa verbi natura cogi potest, addam tamen quaedam exempla. Sic Livius l. 9, 31, 9: ut quisque, inquit, liberaverat se onere coibant. Cf. 21, 27. 38, 40. Bell. Afr. 75: existimabat milites sub onere ac sub sarcinis defatigatos pugnare non posse. Denique aliis locis, ubi huius rei mentio fit, nihil de opere additum est, neque l. 44, 40, 2: nec fessos ut pridie ex via neque trepidantes in acie instruenda — aggressurus erat; neque l. 45, 37, 9: eodem die et iter fecisti et in aciem ex itinere duxisti. Ex his patere arbitror, quo iure Bekkerus, cum obviam haberet veterem lectionem, ne indicare quidem dignatus sit; coniecturam illam receperit. Idem paullo post, ubi in cod. ardentibus scriptum est, de Florebelli coniectura arentibus edidit. Quam cum etiam Gronovius fecisset, tamen veterem scripturam non ausus est movere. Et recte quidem.

Nam sicut urere saepe significat exsiccare, ita arere eam conditionem, quae urendo efficitur, indicat; ex quo verbo cum formatum sit adiectivum aridus, unde ortum est verbum ardere, non mirum esse potest utrumque non origine solum sed etiam notionis cognatione cum illa radice esse coniunctum, et summam ariditatem vel igne torrente vel sole urente vel aliqua causa ortam designare; cf. Döderlin. Synon. Lat. 4, 114. Iam si urere sitis fauces (cf. Hor. Sat. 1, 2, 114.) recte dicitur, nescio an fauces, quae siti uruntur, et maiore adeo vi, quam arentes a Livio ardentes dici potuerint. Cf. Lucret. 6, 1171. [1])

Lib. 45, 27, 9: A Chalcide Aulidem traiicit, trium milium spatio distantem, portum inclitum statione quondam mille navium Agamemnoniae classis, Dianaeque templum, ubi navibus cursum ad Troiam filia victima aris admota, rex ille regum petiit. De huius loci integritate nemo ante Kreyssigium dubitavit, qui cum in cod. legeretur: Dianaeque templum et scripsit Dianaeque templo et Melet. specimine I. p. 17. sententiam suam, quae a Bekkero tacite est comprobata, argumentis confirmavit. Mihi vero cod. scriptura quo se defendat multum videtur habere. Nam navium quidem statione portus inclitus esse potest, neque vero templo, quo ipsa urbs nobilitatur. Neque hoc Livius dicit, portum, quod et statione navium et templo memorabilis esset, consulem adiisse, sed et portum et templum spectasse eum tradit, portum, quod inclutus esset navium statione, templum, propter celebratum illud Agamemnonis sacrificium. Quae quidem loci ratio recepta quae recentioribus placuit coniectura magnopere perturbatur. Quod tamen Kreyssigius vel non recte vel non nisi contorte vulgatam explicari posse censet, vereor ut meminerit haud raro cum alios scriptores tum Livium illam verborum conformationem quam ἀπὸ κοινοῦ appellant admisisse. Sic locum simillimum l. 42, 49 extr.: cum iis consul Brundisium ad exercitum, atque inde cum omnibus copiis transvectus ad Nymphaeum — posuit castra nemo sollicitavit praeter Drakenborchium; idque eo mirabilius videtur, quod alios eiusmodi locos egregie explicavit, veluti illum, qui immerito a Kreyssigio immutatus est, l. 31, 46, 10: et pondere ingenti saxa iaciebant, et cuniculos etc. cf. Duker ad 1, 33, 6. Drak. ad 3, 67, 13. Walch Emend. Livv. p. 229. Cic. Disputatt.

---

1) Recte cap. seq. Kreyssig. et eum secutus Bekkerus saepsissent scripserunt; non ita probandum est, quod Bekkerus l. 44, 5, 9. repudiata cod. scriptura: neque an infestus is locus esset saeptus undique circumspiciendi spatium fuit, suam coniecturam: saeptis undique recipere non dubitavit. Nam id ipsum, quod locus undique saeptus erat, quominus circumspicere possent Romanos prohibuit. Neque hoc uno loco Livius ita est locutus; cf. 25, 16, 18: in valle silva ac montibus saepta; add. 2, 11. 24, 21. 25, 11. all. Quae loco simillimo l. 28, 33, 2. leguntur: campus ante montibus circa saeptus erat de mendo mihi suspecta sunt; nam neque ante satis apte dictum est, et paullo post legimus: angusta, sicut ante dictum est, vallis, deinde: loci angustiae, tum: in arto pugna. His de causis Livio restituendum esse existimo: campus arte montibus circa saeptus. Contra l. 26, 17, 5, ubi in optimis libris scriptum est: huius saltus fauces Nero in arte res esset caduceatorem misit non tam arte saepsisset, quod Gron. coniecit, latere, quam aliquid excidisse videtur. Tentabam, Rubenium a vero prope abfuisse ratus, Nero insedit. Poenus cum in arto res esset. Ita apparet quomodo librarii a primis v. insedit literis ad alterum in aberraverint. Poeni autem mentionem esse factam significat quod sequitur Romanus. Otto, qui in Divinatt. Livv. p. 64. hunc locum tractavit, ad priorem Gronovii coniecturam: cum insedisset adiecit particulam et. Sed neque intelligitur quomodo cum interciderit, neque his probatis quod additur praedicatum ad Neronem referri non potest. Neque l. 29, 32, 4: faucibus utrinque obsessis sollicitandum et cum Gron. obsaeptis reponendum esse videtur; et l. 28, 22, 12. ubi in libb. mss. est: quam ut egredi posse moenibus auderent, a Livio esse existimem: q. u. egredi obsessi moenibus auderent.

Tuscul. 1, 40, 97: vadit in eundem carcerem atque in eundem paucis post annis scyphum Socrates; ib. 3, 31, 76. Vid. Klotz ad h. l. et Otto ad Cic. de Fin. 2, 3, 6. Itaque non dubito, quin Livius, cum templum scriberet, ita sit locutus, ac si ante vel adit vel petit dixisset; aut, quae Doeringii est sententia, quam cur adeo contortam esse Kreyssigius credat ego non perspicio, tale aliquod vocabulum ex antecedentibus intelligi voluerit. [2])

Veniamus ad alium locum, qui et ipse sine iusta causa est tentatus. Lib. 41, 22, 7. haec habemus: nec earum tantum civitatium, per quas iturus erat, satis habuit animos sibi conciliare. aut legatos aut literas dimisit, petens ne diutius simultatium, quae cum patre suo fuissent, meminissent; — cum Achaeorum maxime gente reconciliandae gratiae viam quaerebat. Sigonius h. l. requirit partic. sed; Crevierius addi iubet: sed circa omnes Graeciae civitates; Heusinger: circa omnia Graecorum concilia. Videntur autem illi in ea opinione fuisse, ut putarent, civitates, per quas iter fecit, ipsum regem coram adiisse, ad ceteras istas legatos et literas misisse. In qua si fuerunt, profecto errarunt, neque enim verba illa nisi de tempore

---

2) Multi sunt loci, ubi propter difficultates nescio quas codd. lectionem editores repudiarunt, quorum paucos placet attingere. Sic l. 27, 1, 7. editur: par audacia Romanus, consilio et viribus impar — conflixit, sed optt. libb. pari exhibent, quod non sprevissent, si meminissent solere ita Livium orationem variare, vid. quae de consimili loco in prima partic. p. 15. disputavimus. — L. 28, 43, 1. in codd. est: inveterata prudentiae fama, quod immerito a Drakenb. neglectum recte a recentioribus est restitutum. Eo magis miror eosdem reliquisse l. 29, 32, 2: praem iorumque ingentium spe, in codd. enim est ingenti, et frequentata est Livio haec hypallage quam ferunt, cf. Sebodii et Jahnii Archiv vol. I. p. 433. Walch ad Tac. Agric. p. 138. Benecke ad Cic. de imp. Pomp. p. 170. Klotz ad Cat. mai. p. 102. Nescio an idem vocabulum Livio reddendum sit l. 29, 26, 5, ubi quae vulgo leguntur: partim suapte fortuna quadam ingentis ad incrementa gloriae celebratus cdd. autoritate destituuntur, quorum optimi ingenti habent. In eo autem non dubito quin sit acquiescendum, nam magna sane est fortuna, si quis ad incrementa gloriae celebratur. Certe aptior est haec sententia quam quae Walchio in vulgata contineri visa est: „partim sub initia increscentis gloriae celebratus.“ Itane vero? ingentem gloriam nihil differre censes ab increscente? Ceterum recte Walchius verba et fortibus factis et suapte fortuna ad v. converterat pertinere censet, in eo tamen falsus, quod Gronovium in eadem sententia fuisse putat. — Quae l. 28, 39, 12. in codd. plerisque omnibus leguntur: quod nobis non tam fructu iucundius est quam ultione nescio an aliquid praesidii habeant a loco simillimo Cic. pro Dei. 3, 8; cf. ad h. l. Benecke, Klotz, Soldan. — 27, 30, 5. editur: non tanta pro Aetolis cura erat, ferocioribus quam pro ingeniis Graecorum gentis; in codd. est ferocioris, quod videndum an Livius dixerit, qui non ubique severioribus grammaticorum de appositione praeceptis se adstrinxerit (cf. 29, 2, 2: per agrum Ausetanum, hostico tanquam pacato; 38, 40, 7. Fabri ad 21, 41, 4.); et hoc loco etiam facilius inchoatam constructionem relinquere potuerit, quod illa rarior sane et minus usitata, altera et frequentata esset et aptissima. — 28, 20, 2. in codd. est: conspexerunt editissimam urbis partem, quae rupe praealta tegebatur neque opere ullo munitam et ab defensoribus vacuam, reposuerunt: quia, solus Gebhardus recte habere cdd. scripturam perspexit, cf. Benecke ad Cic. pro Lig. 9, 28. Etiam l. 23, 5, 5. genuinum reddere videntur codd: ut qui (vel quia, a litera enim prima sequentis voc. adhaesit praecedenti) aliquid habeamus; quod editur ut quasi in perpaucis et minoris autoritatis libris est, propter tanquam quod sequitur invectum; illud: ut qui explices, ut, cum nos — habeamus etc. Ceterum non constat unde Bekkerus in Put. qui extare rescierit. Sed idem l. 45, 24. de Perizonii coniectura recte quia dedit. — Obliterata est vera lectio 29, 4, 4. ubi e deterioribus libris dederunt: missi et ad duos imperatores, meliores ad suos habere e Gronov. et Drak. silentio colligitur, et apte Hannibal et Mago externis regibus opponuntur ante commemoratis.

quo itineris faciendi consilium ceperat, necdum iter susceperat, propter ea, quae antecedunt: per quas iturus erat accipi possunt; neque, si ipse civitates adiisset, adversarius regis in senatu Romano (cf. 42, 11. sqq.) rem tam aptam ad suspicionem et crimen augendum silentio praeteriisset. Iam cum ipse rex civitates non adierit, quo tandem modo eas sibi conciliavit? Id ipsum explicatum esse puto illis vv.: aut legatos aut literas dimisit; in quibus tantum abest, ut particula sed requiratur, ut omissa sit partic. explicativa, quam sexcentis locis a Livio non additam esse constat. Deinde non satis attenderunt, quod respondeat verbis: non tantum non omissum esse et audaciore coniectura addendum; respondent enim vv. Achaeorum maxime etc., quae Livius quo fortius eam sententiam exprimeret, plurimum regis, ut cum Achaeis in gratiam rediret, interfuisse, et propter maiorem verborum interpositorum ambitum paullulum mutata adiecit constructione, quae hoc loco eo iustiorem habet excusationem, quod ita ad ea tradenda, quae in Achaeorum concilio actae sint, aditum sibi patefecit. Ab omnibus autem Graeciae civitatibus, quod Crev. et Heusing. Livium dixisse volunt, ne poterat quidem rex petere, ut simultatium, quae cum patre fuissent obliti secum amicitiam instituerent; non omnes enim alieno a Philippo animo fuisse, nonnullas tum iam Perseo conciliatas satis constat, veluti Boeotii et semper Philippi partium fuerunt, et illo tempore cum Perseo foedere videntur fuisse coniuncti; Aetoli ipsi et legatos ad regem miserunt et praesidium petiverunt cf. 42, 12. 38; Achaeos vero non per legatos et literas, sed donis sibi conciliare conatus est; cf. cap. 24, 19. Denique quod hic Livium tradidisse volunt, alio loco l. 42, 5, 1. exposuit.

Admodum similis et eadem ratione defendendus est locus l. 45, 38, 4: erratis milites, si triumphum imperatoris tantum et non militum quoque et universi populi Romani esse decus censetis. non unius hoc Paulli. multi etiam, qui ab senatu non impetrarunt triumphum, in monte Albano triumpharunt. nemo L. Paullo magis eripere decus perfecti belli Macedonici potest, quam C. Lutatio primi punici belli. — nec L. Paullum minorem aut maiorem imperatorem triumphus faciet. militum magis in hoc universique p. R. fama agitur, primum etc. Plerique critici de huius loci conformatione dubitarunt, et Gronovius quidem nimis dissolutum et abruptum dicendi genus incusans, verbis traiectis legendum esse censebat: imperatoris tantum, si unius hunc Paulli et non etc. qua audaciore coniectura omnis sententiae nexus tollitur, neque enim quae sequuntur: militum magis etc. illis loco motis habent quo referantur. Crevierius satis habuit monere, sibi plura videri intercidisse; Heusinger audacius ut solet mutatis quibusdam pluribus additis verbis haec interpretatus est: non, unius hoc Paulli si esset, faceret, quod fecerunt multi etiam, qui ab senatu non impetrarunt triumphum? in monte Albano triumpharunt. Solus Kreyssigius quae sit sententiarum ratio videtur perspexisse. Is enim scripsit: non unius in hoc Paulli, quo ni fallor significare voluit, id quod verissimum est, respondere his verbis quae infra sequuntur: militum magis etc. Cum enim vv. non unius hoc Paulli significasset magis quam aperte explicasset, non unius Paulli interesse, ut triumphus sibi concederetur, vehementiore quodam impetu commotus, statim cur ita statueret, et liberiore quidem constructione causas adiecit. Hoc enim dicit: si unius Paulli interesset triumphare, senatu intercedente, id quod multi fecerint, in monte Albano triumphum agere posse; sed tantam esse victoriam, ut senatus denegare non possit triumphum; tantum virum Aemilium, ut facile illo honore careat: itaque populi et militum magis interesse triumphari, quod iis, quae deinceps sequuntur per partes explicat. Atque credibile est Livium cum illa scriberet: non unius hoc Paulli voluisse ea quae sequerentur ita conformare, ut congruerent cum antecedentibus, sed

pluribus interpositis neglecta adversativa particula quae negativae responderet, solam posuisse comparativam, et ultima verba: militum magis etc. ad aliud verbum atque initio statuerat, accomodasse. Quodsi igitur Kreyssigius voc. in in cod. invenit, recte fecit, quod eam exsulare noluit; sin minus, facile hoc additamento carebimus, quod ad sententiarum rationem explicandam non requiritur.

Magis adeo alius huius generis locus criticis offensioni fuit. Lib. 44, 25, 1. haec leguntur: Eumenes neque favit victoriae Persei, neque bello cum invadere animo habuit, non tam quia paternae inter eos inimicitiae erant, quam ipsorum odiis inter se accensae. non ea regum aemulatio, ut aequo animo Persea tantas apisci opes, tantamque gloriam, quanta Romanis victis cum manebat, Eumenes visurus fuerit. De huius loci integritate nemo ante Dukerum dubitavit, qui, cum verbis non tam — visurus fuerit causas cur Eumenes non faverit Persei victoriae reddi recte vidisset, sententias autem non apte coniunctas et verba non ea regum aemulatio obscuriora esse putaret, coniectura, quae ipsi non audacissima visa est, ita locum conformare voluit: non tam quia — etiam ipsorum — quam ea. Sed aliter visum est Walchio. Is enim p. 264. propter ipsam audaciam et licentiam explosa et reiecta illa coniectura, cum docte quidem, sed non satis accurate, nam quos huc pertinere arbitratur locos l. 26, 46. 32, 4. ab hoc dicendi genere esse alienos quilibet facile sentiet, non id ubivis particulas non tam, non tantum sequi, quod vulgaris grammaticae praecepta suaderent, et saepius mutata constructione suspensam relinqui orationem probasset (add. Drak. ad 37, 51, 9. Kritz. ad Sall. Iug. p. 533. Otto ad Cic. de Fin. 1, 1, 1.), coniecit Livium scripsisse: non tam — erant, quin ipsorum — accensae, non ea aemulatio (erat) etc.; ut iam non ipsorum inimicitiae, sed aemulatio regum opponeretur paternis inimicitiis. Sed tantum abest ut hac ratione asperitas quaedam orationis evitetur, ut etiam augeatur et minus commode singula coeant, et quae naturali quodam vinculo continentur orationis membra disiiciantur. Quis enim est, qui non sentiat nihil aptius cum patrum inimicitiis comparari posse quam odia filiorum, et non facta ea comparatione hiare orationem censeat, componi vero patrum inimicitias et filiorum aemulationem aegre ferat? Huc accedit, quod sententia illa, quam a particula quin Walchius incipere voluit, ita interponitur, ut paene nullam habeat vim, cum ipsa particula ei inesse maximam significet. Itaque Heusinger, Drakenborchium secutus, qui accensis coniecerat, locum hoc modo conformavit: non tam — erant, quam quod ipsorum odiis inter se accensa ea erat regum aemulatio etc., quam coniecturam, omissis vv. quod et erat non solum Tafelius, sed, quod mirari satis non possum, Bekkerus assensu suo comprobavit et recepit. Nam praeterquam quod hoc commentum iisdem difficultatibus premitur, quibus Walchii rationem impediri supra docuimus, etiam hoc novum et inauditum est, quod Heusinger aemulationem, quam odii causam esse constat, accendi odio et procreari opinatur. In qua sententia quantus sit error ut intelligatur Plinii locum apponamus, Panegyr. 84: ea (aemulationem dicit) porro nascitur ex coniunctione, alitur aequalitate, exardescit invidia, cuius finis est odium; adde Liv. 26, 38: aemulationem profecto et odium esse; et Cic. Tus. 4, 8, 17. Iam vero si ipsarum sententiarum rationem consideramus, facile apparet, non magis paternas inimicitias quam ipsorum regum odia veram causam esse cur Eumenes vincere Perseum noluerit, quae non tam hoc efficiant, quam ad bellum gerendum impellant, et ita Livius l. 42, 18, 4: Eumenes — profectus Pergamum praeter pristinum odium etiam recenti scelere Persei stimulante, summa vi parabat bellum; et ib. 29, 1: Eumenem cum vetus odium stimulabat, tum recens ira,

quod scelere eius[3]) prope ut victima mactata Delphis esset. cf. ib. 57, 4. 58, 14. 60. 65 ext. Quod cum Livius sensisset, et proximam veramque invidiae causam aemulationem fuisse perspexisset, quo gravius quoque maiore cum vi eam sententiam exprimeret, novo quasi impetu capto addere, quam cum antecedentibus, a quibus re ipsa sunt separata, coniungere maluit. Itaque hoc fere Livius dicit: si quis causam, cur Persei victoriae Pergamenus rex non faverit, quaerere velit non opus esse eam a paternis inimicitiis repetere, cum ipsorum regum animos odium stimulaverit vehementissimum; veram autem causam invidiae fuisse aemulationem. Ita brevitatem orationis et inde ortam qualemcunque asperitatem non anxie a Livio vitatam (cf. 28, 16, 12. 38, 21, 11. 43, 18, 1; Walch. p. 178; Büttner p. 89.), et copulativae particulae defectum, quem apud nostrum non ita rarum esse Drak. ad 9, 37, 5. et ad 36, 31, 11. Fabri ad 21, 11. docuerunt, praesertim in iis sententiis, quae gradationem habent (cf. 3, 20 ext. 45, 25, 12.), et rei ratio et Livii consilium facile excusat. Magis singulare esse videtur, quod etiam copula abest. Sed ne hoc quidem a Livii usu abhorrere satis constat. Cf. Fabri ad 22, 31, 11; Alschefski ad lib. tric. p. LIV. l. 8, 15. 10, 19. 21, 53. 24, 36, 4: versum ab Italia bellum, adeo uterque populus in Siciliam intentus, fuisse videri, ubi Bekkerus acuta illa quidem sed non necessaria coniectura fuit scribendum esse censet; add. Cic. Dei. 9, 25. in Rull. 2, 30, 82. Phil. 1, 1. 2, 23. 12, 1, 1. all. Si quis autem necessariam eam esse putet, non pertinaciter negabo, erat inter ea regum, cum a Livio esset positum, ut cognato loco 35, 13, 7, a librario esse praetermissum. Iam cum iis quae hactenus tractavimus causae cur Persei victoriae non faverit Eumenes essent redditae; Dukerus et Walchius iis quae deinceps sequuntur cur bellum cum Perseo gerere noluerit explicari censuerunt. Sed Livius ut Eumenem, cum per biennium summa ope bellum gessisset, tum demum de gratia cum inimico ineunda consilium cepisse non fusius narrare, sed e rerum serie intelligi maluit; ita in iis quae sequuntur, ab illis quae supra posuit paullulum deflectens, non tam causas cur bellum gerere noluerit, quam quibus rationibus permotus operam suam venditare, et mercede pacem Perseo comparare statuerit exposuit. Eo enim omnis tendit oratio idque magis adeo appareret, si quae verbis: cernebat et Persea responderent: et Romanos, neque constructione mutata: Romanos quoque posuisset. [4])

Nescio an ex eodem genere sint, quae leguntur l. 32, 32, 5: id (colloquium) gravate regi concessum est, non quin cuperet Quintius per se partim armis partim conditionibus confectum videri bellum: necdum enim sciebat —. aptum autem fore colloquium credebat, ut sibi liberum esset vel ad bellum manenti vel ad pacem decedenti rem inclinare. Recte quidem Gronovius veram causam cur difficulter colloquium concesserit desiderat; nam iis quae sequuntur: aptum autem etc. potius cur non gravate permiserit explicatum est. Sed quod a Livio profectum esse censet: id non

---

3) Non placet eius, suspicor Livium scripsisse regis scilicet Macedonum, quod facile e v. Macedonici colligitur. Idem verbum Livio restituendum censeo 42, 63, 1, nisi praestat vim superbiamque experti Persei.

4) Etiam cap. seq sincera esse videtur cod. scriptura: cum pecuniam tutam et pacem habere per Eumenem (posset). Neque enim parvam pecuniae summam, quae pro pacis mercede Eumeni erat danda Livius intellexit, sed thesauros regios per longum tempus cumulatos; et irridens Persei avaritiam, omnem illam pecuniam cui tanta cura incubaret, tutam a Romanis habiturum fuisse dicit, si a pusillo et contracto animo impetrare potuisset, ut exiguam partem Eumeni daret. In iis quae sequuntur fortasse legendum: aut reiectus. Vide locum huic geminum, C. p. Lig. 9, 26. Contra l. 25, 37, 19. Dukerus probabiliter emendavit refecturum.

gravate — cuperet, etsi Heusingero placuit, et nimium a codd. vestigiis recedit, neque Livii consuetudini accommodatum esse videtur. Is enim, licet Cicero non gravate dicere maluerit (cf. Stürenburg ad Cic. p. Arch. p. 68.), cum v. gravate et gravatim negationem haud coniunxit. Vid. lib. 21, 24, 5: haud gravate ad Poenum venerunt; 1, 2, 3: haud gravatim socia arma Rutulis iunxit: 3, 4, 6: cum haud gravate venissent. Si quis autem pro id gravate legendum censeret haud gravate, non solum vv. non quin, sed etiam: necdum enim, ne turbarent et concideret sententiam, essent immutanda. Quod cum nemo possit committere, quin temeritatis crimen suscipiat, Livius non tam cur gravate concesserit colloquium significasse, quam, cum propter plura quae interposuit verba ab inchoata sententia discessisset, eam causam, propter quam permiserit colloquium, reddidisse putandus est. Idque eo facilius potest excusari, quod verba quae inseruit: necdum enim sciebat, utrum successor sibi mitteretur — an imperium prorogaretur, non tantum ea quae praecedunt explicant, sed etiam causam continent, cur Quintius sibi illo quidem tempore rem trahendam esse et propterea Philippo colloquium dandum statueret; prorogato enim imperio Livius cap. 37 extr. „et ipse, inquit, avidior victoriae quam pacis neque colloquium postea Philippo dedit" etc. Non adeo rara esse apud Livium anacolutha docuerunt Walchius p. 185. Fabri ad 21, 1, 3. Böttcher T. Livii de rebus Syracusanis capita p. 11., et quam facile propter illas particulas, quibus Livius h. l. usus est, suspensa relinquatur oratio aliorum scriptorum exempla docent. Cf. Cic. Or. 11, 37. pr. Quint. 3, 11. Matthiae ad orat. de imp. Pompei. 24, 70.

Neque vero sine causa Gronovio displicuerunt, quae l. 3. 5, 8. hoc modo eduntur: qui (Aequos dicit) caede legati et consulis vulnere accensi nulla deinde vi sustineri potuere, cum compulsi in castra rursus obsiderentur nec spe nec viribus pares. venissetque in periculum summa rerum, ni T. Quintius — subvenisset. Displicuit igitur Gronovio dissolutum et inconcinnum dicendi genus, quod non ferendum esse recte iudicavit. Accedit aliud. Quid enim, si Aequi Romanos nulla re pares rursus obsidentes nulla vi poterant arceri, quominus castra expugnarent prohibuit? nam non esse occupata statim subiicitur. Neque a codd. illa quae Drakenb. recepit et defendit multum habent praesidii. Ex melioribus enim libris solus Leidens. I cum compulsi exhibet; in Harlei. I, de cuius auctoritate recte iudicavit Wimmer (Observatt. Livianae p. VI.), et qui optimis non multum cedit Pal. II. quin scriptum est. Quod et aptam habet sententiam, nec desunt similes loci. Ita l. 5, 28 Liv. „non tulit, inquit, senatus, quin sine mora voti liberaretur;" 9, 26, 10: „appellantibus tribunos nemo erat auxilio, quin nomina reciperentur;" quibus adde: 7, 22; Caes. b. c. 2, 12. Cic. Fam. 12, 13, 2. Itaque iam displicet, quod olim suspicabar legendum esse: quin — obsidentur. Doeringium autem, qui vulgatam probam esse existimat, Schellerumque Observatt. p. 283. venisset utique suadentem non moramur. Sincera est enim meliorum codd. lectio et iure a Bekkero recepta. [5])

Nec desunt loci a criticis non satis caute vel deleta vel addita negatione deformati magis quam restituti. Eiusmodi locum deprehendisse mihi videor l. 42, 32, 3: si senatus non

5) Quod autem Fr. Gron. l. 29, 24, 7. coniecit scribendum esse: itaque iam satis omnibus instructis, quin et re iam non ultra recipiente cunctationem nemo, opinor, probabit; nam neque part. quin hic est locus, neque codd. addicunt. In optimis enim libris est: instructisque, et videtur verbum aliquod esse praetermissum, quod si Livii usum spectes, vix dubites, quin paratis, quae vox etiam 27, 28, 5. intercidit, fuerit; cf. 7, 23. 10, 16. 25, 38. 22, 19. 43, 3 all. Itaque Drak. non est probandus, qui de J. Gron. coniectura, uno codice confirmata, paratis scripsit pro satis.

quid vellet in consulatu potius, quam quid in praetura iuraverit P. Licinius animadvertendum esse censeat, se tamen futurum in senatus potestate. Quibus verbis cum hanc vim inesse Gronovius putaret: si patres tantum indulgerent Licinio, ut potius rationem eius haberent quod cuperet ille consul, quam eius quod praetor iurasset, se daturum hoc patribus, ut contra quam iustum putet, in sortem provincias mittat, quae sententia h. l. nulla ratione ferri potest, particulam non sibi eiiciendam videri professus est, et Bekkerum ita habuit obsequentem, ut eam tamquam spuriam uncis circumdaret. Sed dum probabili ratione quomodo illa vox in antiquissimum librum illata sit, demonstretur, aliam rem expediendi viam quaeramus, et quod scriptum est explicare potius tentemus, quam cupidius eiiciamus. Atque Licinius, cum praetor, ne in provinciam iret, stato loco statisque diebus sacrificia se habere iurasset, tum verò consul provinciam cum collega sortiri vellet, sive eo quod ante religionem interposuerat, sive quod tum provinciam cupiebat, vel violare iusiurandum, vel sine iusta causa dedisse videri debebat, atque talem se praebebat, qui notam et animadversionem senatus vix posset effugere. Itaque Cassius cum alterutrum notandum esse pro certo haberet, tamen utrum magis senatus sit improbaturus vel ambigebat, vel ambigere se simulabat. Hoc ergo Livius consulem vult dicere: si contra quam ipsi videatur, obstrictum autem putabat collegam iureiurando interposito et eius vindicem senatum fore se sperare simulabat, id potius reprehendere velit senatus, quod in praetura, ne in provinciam iret, iusiurandum dederit, et non recte datum vituperare, quam id notandum statuat, quod tum cupidius sortem sibi vindicet, eique se indulgere significet, tamen se in senatus potestate futurum. Quae si recte a me sunt disputata, frustra sollicitatam esse cod. scripturam, patet, opinor, neque Gronovii coniecturam, neque Rupertii, qui pro non scribi iubet nunc, admittendam esse. Quae Baumgarten-Crusii de hoc loco fuerit sententia difficile est ad iudicandum; sensus, inquit, facilior esset, si legeres: magis quid, seu: quidquid velit, et mox se quidem. Quae quomodo cum ceteris verbis possint coniungi, ipse videat; temporibus variatis qui offendatur, credo fore neminem; vid. Krüger. in libro qui inscribitur: Grammatische Untersuchungen II. p. 53. sqq. Aliis locis negatio a criticis non recte videtur adiecta. Atque nescio an recentissimus Livii editor, alias cautissimus, ita peccaverit l. 30, 40, 3, ubi haec leguntur: ubi cum L. Veturius Philo pugnatum cum Hannibale esse suprema Carthaginiensium pugna, finemque tandem lugubri bello impositum ingenti laetitia patrum exposuisset; adiecit Verminam etiam, Syphacis filium, quae parva bene gestae rei accessio erat, devictum. Hoc loco Alschefskius propterea quod, cum maiore illo cum Carthaginiensibus proelio supremo viginti milia hostium cecidissent; in hac altera cum Vermina pugna quindecim milia, haec victoria accessio prioris victoriae dici posset, non parva accessio, haud parva legendum esse suspicatus est et ita edidit. In eadem sententia recentiorum nonnullorum codicum librarios fuisse inde apparet, quod non parva, quod recte a Livii usu abhorrere Alschefskius indicat, scripserunt; in antiquioribus et melioribus libris negatio non legitur. Atque recte videtur abesse. Nam non ex caesorum tantum multitudine victoria aestimabatur, sed ex periculo atque discrimine, et nullo vel levi certamine parta non adeo magni putabatur; cf. 23, 49. 24, 42. 25, 1 all. Deinde hoc maxime attendendum est, illa verba: quae — erat non legato Scipionis tribui, iisque suam sententiam aperuisse Livium; cuius animo, id quod antecedentia satis declarant, cum totum illud bellum maxime omnium memorabile, quae unquam gesta sunt, obversaretur, supremum illud proelium, quo finitum est, tantum debebat iudicare, cum quo vix alia ulla compararetur, nedum ista cum Vermina pugna. Neque enim Vermina Hannibali duci conferri poterat, neque illius tumultuarius exercitus, Sy-

phace patre pluribus cladibus victo, ad ultimum capto regnoque ab hostibus occupato temere collectus cum huius exercitu veterano, multis proeliis victore componi, neque proelia, alterum et ducis arte atque consilio et militum fortitudine clarum et memorabile alterum levi momento et primo impetu finitum (cf. 30, 36.), ita possunt comparari, ut hoc haud parva illius accessio recte dicatur. Quibus verbis quae vis insit inde imprimis patet, quod Livius l. 7, 30. (cf. Rupert. ad h. l.) Campaniam, maiorem sane ipso imperio Romano, quale tum fuit, huius haud parvam accessionem fore iudicavit. Quare ipsum Syphacem, hostem multo magis timendum quam Verminam, ne in oratorio quidem dicendi genere non accessionem haud parvam, sed accessionem Punici belli fuisse scribit, nam 45, 7, 2: „Syphax rex, captus," inquit, „in castra Romana adductus erat: praeterquam quod nec sua nec gentis fama comparandus, tunc accessio Punici belli fuerat;" cf. ib. 39, 7. Itaque meliorum edd. scripturam non deserendam esse existimem, de qua ut lepide ita recte Gronovius: „neque Livius neque Romani tam erant ieiuni, ut ex hac musca facerent elephantum."

Immerito autem Bekkerus eandem particulam exsulare passus est l. 45, 36, 1., quem locum hoc modo edidit: cum in Capitolio rogationem Ti. Sempronius tribunus plebis ferret, et privatis de lege dicendi locus esset, nec ad suadendum ut in re minime dubia quisquam procederet, Ser. Galba repente processit. E Gronovii coniectura de editur; a Sigonio nec est additum. In codice enim hoc vocabulum non legitur, et paullo post: dubia aut si quisquam scriptum est. In quibus cum obscurum esse non posset: haud quisquam latere, idque a Kreyssigio esset Livio redditum, non erat sane, cur Bekkerus Sigonii additamentum repeteret. Literas si, quae interpositae sunt, nisi librario tribuere velis ad vocem sequentem aberranti, depravatas et pro sane positas esse suspicari possis, cf. 3, 72, 7. Quod Kreyssigius scribendum putavit locus esset, sed ad, non opus esse videtur particula sed adiecta, quam saepe in eiusmodi sententiis a Livio non esse positam docuerunt Gronovius ad 3, 71, 6. ad 22, 25, 7; Drakenb. ad 1, 25, 3. all. Fabri ad 21, 43, 6; Walch. p. 200. Etiam l. 42, 64, 7. librarius mutatis et transpositis literis Livii sententiam obscuravit. Ibi haec in cod. sunt: simulque in vallo, ad portas miles instructus erat et inconste oppugnationis castrorum Perseus et extemplo circumegit aciem etc. Vid. Kreyssig. ad Sallust. fragm. p. 88. Quae Grynaeus ita correxit: et intentus propugnationi castrorum; ea secutus, quae 43, 18, 7. leguntur. Bekkerus ne monito quidem lectore aliam esse cod. lectionem Grynaeo est obsecutus. Kreyssigius Livium scripsisse: inconsultae oppugnationis, librarium haec et corrupisse et plura praetermississe existimat. Sed dubito num inconsultae oppugnationi locus sit, nam ex iis, quae antecedunt et occasionem bene gerendae rei fuisse, et omnia recte a Perseo esse administrata apparet, et periculosum est de lacuna cogitare ubi quaedam inveniuntur, quae num recte legantur sunt dubia. Itaque a librario ita peccatum esse ratus, ut, quod haud raro factum esse constat, cf. Alschefski p. LXVII, literarum ordinem turbaret, quaedam corrumperet, crediderim Livium scripsisse: non institit oppugnationi castrorum. Eadem particula nescio an restituenda sit l. 42, 5, 6. ubi de Grynaei coniectura haec leguntur: seu quia eum obiectum esse Romanis volebant. In cod. enim scriptum est: non obiecta esse, quae ostendere mihi videntur Livium dedisse: non subiecti esse. Gravis erat civitatibus Romanorum societas, vel potius dominatio, liberique esse cupiebant et servitutem timebant, id quod aperte apud Gellium 7, 3. Cato dixit: „id metuere, ne sub solo imperio nostro in servitute nostra essent." Simillimum locum habes Liv. 25, 20, 5: Hannibal non Capuam neglectam, neque — desertos volebat socios; adde 39, 15, 11;

40, 12, 9; 31, 23, 11. — Memoriam haec afferunt l. 40, 49, 6. ubi haec habemus: et primum quaesivit ab eo, ne sibi liceret ac suis vivere. cum praetor victurum respondisset, quaesivit iterum, si cum Romanis militare liceret. Verba ab eo ne incredibile est quantopere criticos vexaverint, quorum coniecturas enumerare et examinare longum est et ab hoc loco alienum. Vid. Kreyssig. Epist. ad Goellerum. p. 467. Quod si mentem Livii assequor, non de sola vita, sed de vitae quadam conditione regulum quaerere voluit. Propterea Gracchus respondet: victurum; alioqui licere dixisset. Suspicor igitur librarium praepositiones permutasse et ab intulisse, cum Livius sub scripsisset, id quod aliis quoque locis factum esse, observavit Handius Tursell. I. p. 62. Iam si scribitur: sub eo ne sibi liceret ac suis vivere, hoc modo procedit oratio: regno amisso regulus primum num sub Romanorum imperio vivere, deinde num cum iis militare liceat a Graccho quaerit, cf. 8, 19. 25, 30. Ut hoc loco omissa, ita addita litera peccatum esse videtur l. 28, 24, 10: forma tamen Romanorum castrorum constabat una ea spe, quod tribunos ex contagione furoris haud expertes seditionis defectionisque rati fore, et iura reddere in principiis sinebant, et signum ab eis petebant. Cum ex sententiarum nexu non posset obscurum videri, id egisse Livium, ut qua conditione et ratione constiterit Romanorum castrorum forma explicaret, neque verborum compositio spe-rati fore satis apta esset, iam alii aliquid in his turbatum esse senserunt. Et Gronovius quidem emendabat: una ex parte; Freinshemius: una ea specie. Utrumque longius a cdd. scriptura recedit. Aliud desidero, quo quae sequuntur: et-sinebant, et-petebant significentur et comprehendantur. Itaque non dubito quin deleta una, altera mutata litera, et inciso post v. quod posito rectius legatur: forma tamen-constabat una ea re, quod, tribunos-rati fore, et-sinebant, et-petebant. [6])

Non fefellit criticos, quae l. 42, 38, 2. ita leguntur: et quadringentos iuventutis eorum in Orestas, ut praesidio essent liberatis ab se Macedonibus, miserunt, mendo esse depravata. Neque enim legati populum liberasse dici possunt; neque illo tempore Orestae liberi sunt facti, quibus iam pridem suae leges essent redditae; neque nisi duriore et contorta explicatione pronomen se ad populum Romanum refertur. Itaque Drakenborchius hanc vocem abiiciendam esse statuit, quod sane facillimum est emendandi genus, sed lubricum et periculosum. Notum est autem haud raro verbum senatus significari magis literis quem plene scribi. Itaque videndum est, an restituta hac voce scribendum sit: ut praesidio essent liberatis ab senatu Macedonibus. Vid. Polyb. 18, 30, 6. Liv. 33,

---

6) Cum idem vocabulum Livio l. 40, 5, 7. restituendum esse docuissem in prima lectt. Liv. particula p. 20, gavisus sum et Kreyssigium ad Sall. frag. p. 106 eam coniecturam non improbasse, et nuper ab Ottone Div. Liv. p. 42. denuo esse factam. Idem tamen quod l. 2, 47, 12. legi iubet p. 8: inde populares iam esse Fabii; nec hoc ulla alia re, nisi salubri reipublicae arte non est probandum; nam in deterioribus libris ita est erratum; Harlei. I vulgatum exhibet; sententiae ratio autem tale additamentum non requirit sed vix admittit. — Sed eodem l. 2, 1, 8: omnia iura omnia insignia primi consules tenuere, de mendo mihi suspecta sunt. Scilicet soli primi consules omnia iura omnia insignia habebant: an non omnes, qui eos secuti sunt pari iure fuerunt? Accedit quod insignia tam nude positum nescio quomodo offendit. Tum vero hoc dicit Livius, libertatis initium ita tantum consulatum dici posse, quod imperium consulare annuum factum sit, tantum enim abfuisse, ut deminutum quidquam sit ex regia potestate, ut omnia iura ad consules sint translata. Itaque nescio an a Livio sit profectum: omnia insignia imperii consules tenuere. Cf. 3, 9. 4, 2. 7, 9. 8, 4. all.

34, 6. [7]) — Similiter peccatum esse videtur l. 45, 12, 4., ubi haec in codice leguntur: tabellas ei Popillius scriptum habentes tradit. Recte quidem Ursinus emendavit: senatusconsultum habentes, sed inchoavit magis quam absolvit curationem. Nam vocabulum scriptum non ex iis esse videtur, in quae v. senatusconsultum a librariis non intellectum depravari solet, cf. Drak. ad 2, 48, 10. 4, 57, 5. 22, 10, 1. all. Sed non praetermittenda sunt verba Polybii, unde Livius sua hausit, (29, 11, 2.) τὸ δελτάριον, ἐν ᾧ τὸ τῆς συγκλήτου δόγμα κατεγέγραπτο, προὔτεινεν αὐτῷ. Quae intuenti mihi suspicio orta est, v. scriptum a Livio esse et ante h. v. SC. i. e. senatusconsultum intercidisse. Alias similia leguntur; ita in lege Servilia apud Spangenberg. Monument. legal. p. 42. legitur: ut ei scripta in tabolis habeantur; adde Cic. Phil. 1, 1. in Catil. 1, 2, 4. Liv. 45, 25, 3. De usu voc. habere vid. Kritz. ad Sall. Cat. 23, 4.

Constat autem cum alios tum cod. Vindob. librarium saepe ita peccasse, ut propter antecedentium aut sequentium similitudinem voces integras vel singulas vel plures omitterent. Singularem huius generis locum deprehendimus l. 44, 43, 5: rex ad mediam ferme noctem terrore et variis difficultatibus viae vexatus est. in regiam Perseo, qui Pellae praeerat Euctus regiique pueri praesto erant. Ita hic locus de Grynaei coniectura editur, sed in cod. est: vexatus in regiam est a perseo qui pellae prae-

---

7) Sed iure mihi dubitare videor, num recte hoc verbum ab Alschefskio Livio redditum sit l. 30, 26, 12, quem locum p. LXXI ita scribendum censuit: quia eum senatus in Etruria tenuerit quaestiones ex senatusconsulto habentem. Neque enim is fere, qui alteri negotium dat, eum tenere dicitur, sed res ipsa, quae est conficienda (cf. Drak. ad 32, 9, 1.), neque satis apte ante senatus consultum videtur inferri ipse senatus; neque codd. addicunt, qui excepto Bamberg. tenuerint exhibeant. Itaque cum ipse V. D. p. LXXII docuerit syllabam re saepe intercidisse, et p. LXXIII minoris autoritatis libros quaedam servasse probaverit, quae in meliōribus sint praetermissa; recte Drakenborchium statuisse putaverīm, in melioribus, qui sīn Etruriae habent, syllabam re librariorum incuria excidisse. Minus adeo probandus est Otto, qui Divv. Livv. p. 16. l. 5, 51, 1. emendare conatus est: si me mille senatusconsultis populique iussu revocaretis. Nam nisi ridiculam sententiam Livio obtrudere vis, etiam alterum nomen plurali numero est ponendum. Latet fortasse: si me simili senatusconsulto; respicitur autem memorabile illud senatusconsultum et populi iussum, quo Camillus ante revocatus est, l. 5, 46, 10. commemoratum. — Ex eodem genere corruptum puto locum l. 28, 10, 16: triginta navibus C. Servilio praebitis. Ita de Gronovii coniectura editur, in optimis libris est: praeditis; et vereor, ut ille v. praebere usus exemplis a Gronovio allatis stabiliatur. Saepe factum est, ut v praetor non plene scriberetur; itaque hoc loco accidisse crediderim, ut in melioribus libris syllaba prae sequentis vocis literas initiales hauriret, in deterioribus quibusdam, qui traditis habent, illa intercideret. Quapropter Livium scripsisse putaverim: praetori traditis. Adiectum est v. praetori, quod Valerius quoque proconsul nominatur. — Neque vero a me impetrare possum, ut credam recte hoc verbum ab Sigonio in Līvii verba illatum adhuc religiose servari l. 44, 16, 2: ibi et ex aliis locis commeatus a praetore prospectos in hiemem habere. Nam neque praetor commeatus praeparaverat, quod Drak. probavit, neque c. 13, 11, quem locum attulit Ruperti, hoc legitur, neque si prospexisset, Marcius consul ad senatum scripsisset, quod ipsius imperatoris erat, administrasse praetorem; cf. Quintil. 12, 3, 5: nisi forte imperatorem quis idoneum credit in proeliis quidem strenuum — sed neque delectus agere — neque commeatus prospicere-scientem, add. Liv. 26, 3. Misere laceratum locum codex exhibet, in quo haec leguntur: rem prospectos; quae quomodo emendanda sint haud facile dixeris. Tentabam: redemptos, prospectos; ut duplex commeatuum genus discerneretur. Sed dubito et mihi ipsi diffido. Desperatus est locus 42, 5, 7; in cod. haec habes: iusti crediti solutionem in zannorum pensiones distribu;t. Saepe notae literarum x et z confundi notum est, cf. Kreyssig. T. Livii lib. tricesimus p. 327. Fortasse etiam hoc loco ita erratum est, ut legendum sit: in decem annorum.

erant coactusque regi pueri. Prima illa verba, etsi non ignoro haud raro a librario vocabula temere esse transposita [8]) (cf. Kreyssigii Melet. spec. I. p. 24.), tamen a Grynaeo audacius mutata esse crediderim, qui et est alio loco posuerit, et a ciecerit. Propius vero est propter praecedentis v. similitudinem aliquid excidisse, et Livium hoc scripsisse: vexatus in regiam ingressus est. Ac Perseo. Confidentius hoc dico de iis quae sequuntur. Nam non solum quod praecerant scriptum est, sed etiam quod que additum est, non de uno, sed de duobus Pellae praefectis mentionem factam esse declarat. Neque qui illi fuerint, obscurum est. Conferas velim Plutarchum (Vit. Aem. Paulli c. 23.) eandem rem narrantem: ἐπεὶ δὲ νυκτὸς Πέλλαν εἰσελθὼν Εὔκτον καὶ Εὔλαιον, τοὺς ἐπὶ τοῦ νομίσματος - ἀπέκτεινεν. Denique ne terror quidem huius loci esse videtur et ex initio capitis de errore potius Livium cogitasse coniicias. Itaque nemo, opinor, repugnabit, si pro genuinuo habuerimus: rex ad mediam ferme noctem et errore et variis difficultatibus viae vexatus in regiam ingressus est. ac Perseo, qui Pellae praecerant, Eulaeus Euctusque et regii pueri praesto erant. Videndum an eadem ratione lux addi possit loco suspecto et paene deposito, qui 44, 22, 2. de Grynaei coniectura editur: animadvertisse videor, Quirites, maiorem mihi sortito Macedoniam provinciam gratulationem factam, quam cum aut consul essem consalutatus, aut quo die magistratum inissem. In cod. est: quam cum aut conpulsus consulatus. Plutarchus aliquid praesidii afferre videtur, eandem rem, quam Livius significat, fusius narrans Vit. Aem. c. 10. Ὁ δὲ κατ' ἀρχὰς μὲν ἐθρύπτετο πρὸς τοὺς πολλοὺς — ποιτώντων δὲ καθ' ἡμέραν ἐπὶ θύρας καὶ προκαλουμένων αὐτὸν εἰς ἀγορὰν καὶ καταβοώντων ἐπείσθη. Quae cum librarii ludibriis comparanti et quid hoc loco scriptum fuerit circumspicienti, ipse Livius quod non alienum esset subministrare visus est. Is enim l. 22, 35. ubi, L. Aemilium Paullum, huius avum, alterum consulatum refugisse scribit, nobilitas inquit, diu ac multum recusantem ad petitionem consulatus compellit, cf. 9, 13. Tale aliquid nostro quoque loco scriptum fuisse ratus, tentabam: cum aut compulsus essem ad petitionem consulatus, aut etc. — De eodem Aemilio infra c. 33, 4. haec subiicit: ipse cum tribunis primisque ordinibus vadit ad contemplandos transitus etc. Ita de Grynaei coniectura editur, qui multa quidem librarii negligentia praetermissa felicissime restituit, sed hoc loco paullulum a recta via aberasse videtur. Neque enim de hac re magis verbo vadere Livius utitur, quam de motu concitatiore et gradu accelerato (cf. 2, 20, 21; 3, 30; 4, 38; 7, 14. 34; 9, 13. 23. 31 all.), neque quomodo exciderit probabiliter potest demonstrari. Itaque, quod tale aliquod vocabulum pro loci ratione requiritur, idque facilius cur praetermissum sit intelligitur, coniiciebam a Livio esse: ad contemplandos transitus est progressus. Ita 22, 15. „progressus“ inquit, „primo exploratoris modo, ut ex tuto specularetur hostem;“ 26, 10. „ad Herculis templum est progressus, atque — moenia si-

